*Infundibuliformis Corolla*: NERIUM Oleander. Tab. 12. Fig. 3.

3. *Hypocrateriformis*: Corollae limbus (§. 20. β.) planus, impositus tubo. (§. 20. α.)

E x e m p l a :

*Hypocrateriformis Corolla*: PRIMULA — *Oederi* Elem. bot. Tab. IX. Fig. 78. *Weiß* Forstbotanik. Tab. VI. Fig. 57. *Lin.* Philos. bot. Tab. VII. Fig. 142. — KALMIA angustifolia. Tab. 32. Fig. 3. 4. 5. \* C. si Limbus perfecte planus esset: quoniam vero margine paullulum elevatur, (Fig. 3.) Forma mixta evadit hinc *hypocratero-infundibuliformis* Corolla dicenda.

4. *Rotata*: Corollae limbus (§. 20. β.) planus, nulli tubo impositus.

Secundum hanc LINNAEI definitionem, (*Phil. bot. p. 52. §. 86. II. n. 8. b.*) in sensu stricto Corolla esset plana, tubo omnino carens; sed aliquando tubi exigui vestigium, instar annuli, manifesto adest, quocum Corolla affigitur,

E x e m p l a :

*Corolla rotata*; sensu definitionis stricto: ANAGALLIS arvensis. *Tournef.* Inst. rei herb. Tab. 59. B. *Oederi* Element. bot. Tab. IX. Fig. 83. *Weiß* Forstbotanik.

Tab. VI. Fig. 61. d. c. — *cum vestigio exigui tubi*:  
 SOLANUM tuberosum. Tab. annexa A. Fig. 4. item-  
 que *Weiß Forstbotanik*. Tab. VI. Fig. 61. a. b. BOR-  
 RAGO officinalis. *Tournef. Inst. rei herb.* Tab. 53.  
 A. B.

5. *Ringens* five *Labiata*: Corolla figurae irregularis, duobus *Labiis*, *superiore* altero, altero *inferiore* hians, hisque rictum animalis quodammodo referens.

Notamus praecipue in Corolla huius Formae:

a. *Galea* vocatur speciatim *Labium superius*, si fornicatum est; unde similitudo cum galea. Hinc talis Corolla a quibusdam

α. *Flos galeatus* appellatur: Sique Palato (d.) clausa est,

β. *Corolla personata*; *Flos personatus*, ob similitudinem cum persona s. facie larvata.

γ. Etiam Corolla *polypetala*, constructione et dispositione Petalorum, aliquando Formam *bilabiatae* Corollae, itemque *galeatae* simulat,

δ. Sunt inter ringentes, quibus *Labium superius* (a.) deest; talis *unilabiata* Corolla dicitur.

b. *Labium* proprie dicitur *inferius*, nisi aliter determinatur, monente LINNAEO: „*Labium pro ringentis parte inferiore saepius sumitur.*” *Term. bot. p. 90. n. 490.* A RIVINO, qui *Labium superius* (a.) *Galeam* dixit, *Labium inferius Barba* appellatur.

c. *Rictus*: „*Hiatus inter utrumque Labium.*” (a. b.) *ibid. n. 490.*

d. *Palatum*: „Processus Labii inferioris, (b.) superiora versus, quo Rictus (c.) occluditur.” *ibid.* n. 492.

e. *Faux*: „Hiatus inter lacinias Corollae, ubi Tubus (§. 20. a.) terminatur Collo, (§. 20. β.) sive parte Tubi superiore.” *ibid.* 493. 494.

#### E x e m p l a :

*Corolla ringens*: MONARDA fistulosa. Tab. 3. Fig. 1. 3.  
MELITTIS Melissophyllum. Tab. 52. Fig. 2. 3.

α. *galeata*: SALVIA Sclarea. *Tournef.* Inst. rei herb. Tab. 82. A. LAMIUM album. *Tourn.* I. R. H. Tab. 85. A. *Weiß* Forstbotanik<sup>4</sup> Tab. VI. Fig. 64. Galea, f. Labium superius: a. a. Labium inferius: b. b.

β. *bilabiata, personata*: ANTIRRHINI species — *Tournef.* I. R. H. Antirrhinum. Tab. 75. A. B. Linaria. Tab. 76. A. C. — B. D. itemque *Weiß* Forstbot. Tab. VI. Fig. 65.

γ. *Corolla polypetala Labiatam simulans*: FUMARIA lutea. Tab. 60. Fig. 2. \* Labium superius: u. Labium inferius; i. — Petalo supremo galeato: ACONITUM Napellus. Tab. 48. Fig. 1. 2. C.

δ. *Corolla ringens unilabiata*: TEUCRII species. *Tourn.* I. R. H. Tab. 97. Chamaedrys. E. Polium. K. Tab. 98. Teucrium, A. Chamaepitys. B. Bugula. B.

#### §. 23.

B. *Córollis polypetalis* (§. 19. b.) FORMAE propriae praecipuae, sequentes sunt:

I. *Rosacea Corolla*; *Flos rosaceus*; Corolla constans quinque vel pluribus aliquando Petalis (§. 19. b.) regularibus, (§. 21.) Laminis (§. 20. B. n. 2.) latis, Unguibus (§. 20. B. n. 1.) admodum brevibus, latisque Receptaculo (§. 49.) insertis.



## E x e m p l a :

*Rosacea Corolla; Flos rosaceus:* PHYTOLACCA decandra. Tab. 36. Fig. 3. RUEUS fruticosus. Tab. 45. Fig. 3. RANUNCULUS bulbosus. Tab. 51. Fig. 3.

2. *Malvacea Corolla; Flos malvaceus:* Haec quoad exteriorem Formam rosaceae (n. 1.) similis; at media omnino inter monopetalam (§. 19. a.) ac polypetalam Corollam. (§. 19. b.) Differt enim: quinque Petalorum Unguibus connatis, sic, ut tubum brevissimum forment, pro basi Corollae.

Praeterea centrum Corollae occupat Columnae formam plerumque referens tubulosum Receptaculum Staminum; (§. 52. n. 7.) hinc Plantae eiusmodi floribus gaudentes *Columniferae* appellantur.

## E x e m p l a :

*Corolla malvacea; Flos malvaceus:* ALCEA rosea. Tab. 69. Fig. 3. 4. Receptaculum tubulosum columniforme; in situ naturali: Fig. 3. Idem separatum: Fig. 5. sectum: Fig. 6.

3. *Caryophyllaea Corolla; Flos caryophyllaeus:* Corolla pentapetala, Petalis regularibus, Ungue longiore, angustioreque terminatis; Laminis patentissimis plerumque, i. e. ad angulum rectum reclinatis.

## E x e m p l a :

*Caryophyllaea Corolla; Flos caryophyllaeus:* DIANTHUS Caryophyllus. *Weiß* Forstbotanik Tab. V. Fig. 56. Unguis longissimus: c. c. Laminae reclinatae patentissimae: a. a. d. — SAXIFRAGA granulata. Tab. 33. Fig. 3.

4. *Liliacea Corolla; Flos liliaceus*: Corolla hexapetala regularis; (§. 21.) at vero etiam Corolla *monopetala* sexfida regularis *liliacea* appellatur:

Plantis sic dictis *Liliaceis* pro Calyce Spatha (§. 14.) est.

E x e m p l a :

*Liliacea Corolla hexapetala*: AMARYLLIS Belladonna. Tab. 18. Fig. 2. Spatha: Fig. 1. *monopetala* sexfida Corolla CROCUS fativus. Tab. 6. Fig. 2. 3. Spatha. Fig. 1. 2. 3. K.

5. *Cruciformis Corolla; Flos cruciformis; cruciatus*: Corolla tetrapetala, Petalis aequalibus, Laminis patentibus; Unguibus laminis longioribus, per oppositionem Petalorum ad angulum rectum, Crucis figuram referens.

E x e m p l a :

*Cruciformis Corolla*: LUNARIA annua. Tab. 54. Fig. 2. 3. CHEIRANTHUS incanus. Tab. 55. Fig. 2. 3.

6. *Papilionacea Corolla; Flos papilionaceus*: Corolla figura irregulari (§. 21.) papilionem quasi alis expansis simulans, ut plurimum tetrapetala, Petalis forma ac situ diversis, hinc etiam diversis nominibus insignitis:

a. *Carina*. b. *Vexillo*. c. *Alis* duabus.

Notamus, in quibusdam deficere horum unum vel alterum; e. g. Carinam, quandoque Alas.

E x e m p l u m :

*Corolla papilionacea*: LATHYRUS latifolius. Tab. 62. Fig. 3. C.

- a. *Carina*: Petalum inferius, cymbiforme, Stamina et Pistillum recondens: Fig. 2. 3. 4. c.  
 b. *Vexillum*: Petalum superius ascendens: Fig. 2. v. Fig. 3. C.  
 c. *Alae*: Petala duo lateralia: Fig. 2. 3. 4. a. a.

## §. 24.

C. *Corollis compositis* (uti LINNAEUS eas appellat, ab aliis *Flores compositi* dicuntur,) FORMAS quasdam proprias addimus.

Est autem definitio *Corollae compositae* proprie sic a LINNAEO dictae: „Pluribus constans *Flosculis* intra Perianthium commune (§. II. d.) supra Receptaculum commune.” (§. 51. B.) *Term. bot. p. 92. n. 500.* His subiungimus essentialis differentiae (a sequente n. 4.) notas, scilicet: *Flosculos* Perianthio proprio (§. II. e.) carentes; ac *Antheras* (§. 29. n. 2.) quinque in tubum conatas.

I. *Ligulata Corolla composita LINNAEI*; *Flos semiflosculosus TOURNEFORTII*; aliis *Planipetalus*: „Cum Corollulae *Flosculorum* omnes planae, versus exterius latus expansae sunt.” *Phil. bot. §. 117. p. 77.*

i. e. Omnium *Flosculorum* Corollulae planae sunt, Ligulae, sive lingulae formam referentes.

## E x e m p l u m :

*Ligulata Corolla composita*; *Flos Semiflosculosus*; *planipetalus*: LEONTODON Taraxacum. Tab. 66. Fig. 2. C. Perianthium commune: Fig. 1. Corollula

Flosculi ligulata: Fig. 3. 5. \* C. Antherae quinque in tubum connatae: Fig. 3. 4. a. Antherarum tubus fissus expansus. Fig. 5. 6. \* a. Receptaculum commune: Fig. 10. R.

2. *Tubulosa Corolla composita LINNAEI;*  
*Flos Flosculosus TOURNEFORTII:* „Cum Corollulae Flosculorum omnes tubulosae subaequales sunt.” *Phil. bot. l. c.*

E x e m p l a :

*Tubulosa Corolla composita; Flos flosculosus:* CENTAUREAE species. *Tournefort. Initit. rei herb. Tab. 251.*  
 Flos Flosculosus: A. Perianthium commune: E.  
 Flosculus tubulosus: A. Receptaculum commune: D. E.— *Oeder Element. bot. Tab. XI. Fig. 105. 106.*

3. *Radiata Corolla composita LINNAEI;*  
*Flos radiatus TOURNEFORTII:* Flosculorum, centrum sive Discum occupantium Corollulae tubulosae; ambitum sive Radium vero constituentium Flosculorum Corollulae ligulatae.

E x e m p l a :

*Radiata Corolla composita; Flos radiatus:* HELIANTHUS annuus. Tab. 68. Corolla composita radiata: Fig. 2. C. Flosculi tubulosi in Disco: Fig. 2. Y. ligulati in Radio: Fig. 2. Z. Corollula Disci tubulosa: Fig. 3. y. \* eadem expansa: Fig. 4. l. Corollula Radii ligulata: Fig. 5. C. Antherae in tubum connatae: Fig. 3. \* Antherarum Tubus expansus: Fig. 4. a. l. Perianthium commune: Fig. 1. K. — CALENDULA officinalis. Tab. 69. Fig. 2. C. Corollulae Disci tubulosae: Fig. 3. h. Fig. 5. C. Corollulae Radii ligulatae: Fig. 3. f. Fig. 4. C. \* Perianthium commune: Fig. 1. K. eiusdem dissecti facies interna: Fig. 3. Antherarum tubus: Fig. 6. \* a. Receptaculum commune: Fig. 9. R.

Super-

Supereſt FORMA, quæ primo aſpectu ad præcedentes, quas ſimulat, pertinere quidem videtur; at maxime differt: nempe

4. *Flos aggregatus*: Si Perianthium commune (§. 11. d.) excipit plures Receptaculo communi (§. 51. B.) affixos Floſculos; ſingulos vero Perianthio proprio (§. 11. e.) ſive Calyculo; et Stamina (§. 29.) liberis, (i. e. haud connatis nec in antheris nec filamentis,) inſtructos.

E x e m p l a :

*Flos aggregatus*: SCABIOSAE Species: *Tournefort*.  
 Inſt. rei herb. Tab. 263. Flos aggregatus: A. Perianthium commune: M. Floſculus tubuloſus Diſci:  
 B. Radii: C. Perianthium proprio: D. — *Oeder*  
 Element. bot. Tab. XI. Fig. 107.  
 DIPSACUS laciniatus. Tab. 9. Fig. 1. C. Perianthium  
 commune: Fig. 1. K. Floſculus tubuloſus: L. C.  
 cum Perianthio proprio: K. Fig. 2. Stamina libera:  
 Fig. 2. a. f. Receptaculum commune: Fig. 7. R.

---

## C. NECTARIUM.

(§. 9. Sect. I. C.)

---

### §. 25.

Accedimus nunc ad illuſtrationem Partis cuiusdam, in floribus permultarum plantarum obviae, quam, veluti acceſſoriam, Corollae aſſociatam, *LINNAEUS* peculiari nomine NECTARIUM appellavit.

Ne vero hocce *Nectarii Linnaeani* nomen, cuius significationem a definitione primitiva (A.) longe alienam saepe deprehendimus, tironi ideam pariat maxime confusam, sciat: I. occurrere in scriptis Linnaeanis vocem *Nectarii*.

A. in sensu stricto, sive *positivo*: et tunc significationem eius omnino congruam esse definitioni a *LINNAEO* datae: „Pars *mellisera* flori propria.” *Philos. bot.* §. 86. II. n. 9.

E x e m p l a :

*Nectarium; sensu stricto*: MELIANTHUS maior. Tab. 53. Fig. 2. 5. N. PARNASSIA palustris. Tab. 15. Fig. 2. 4. 5. \* N. confer exempla §. 26. a. b. c.

B. in sensu lato, sive *negativo*: si *Nectarii* nomine utitur *LINNAEUS* in descriptione *partium floris succisivarum*, i. e. talium, quae tantopere differunt qualitate a reliquis septem Fructificationis partibus, (§. 7. I—VII.) ut nullum harum partium nomen congruum iis esse videatur, neglecta saepe praesentiae mellis certitudine.

E x e m p l a :

*Nectarium; sensu lato*: CANNA indica. Tab. 1. Fig. 1. 2. 5. N. PASSIFLORA caerulea. Tab. 74. Fig. 2. 4. N. KIGGELARIA africana. Tab. 92. Fig. 1. 3. \* 4. \* 5. \* N. Fig. 8. 3. 4. \* 6. \* N.

2. De recipiendo ad communem usum nomine *Nectarii*, at solummodo in sensu positivo, (A.) assentiunt Botanici facile omnes *LINNAEO*. Errori vero ac confusio qui ansam praebet, abusus

vocis Nectarium, in sensu negativo, (B.) merito improbatum: praesertim, cum haud defint nobis aliae, communi usu receptae voces, ideam eiusmodi rei perfecte exprimentes, ac dilucidae, velut: *Glandulae*; a) *Corolla secundaria*; b) *Squamae*, c) et quae sunt alia, pro circumstantiarum varietate prudenter feligenda.

- a. *Glandulae*: v. g. in KIGGELARIAE exemplo. (B.)
- b. *Corolla secundaria*: v. g. CANNA, PASSIFLORA, (ibid.) suadente hancce appellationem, altera huius generis specie, PASSIFLORA Murucua, cuius iconem vid. *Tournef.* Inst. rei herb. Tab. 125. K. Simile exemplum offert genus NARCISSI; si speciem, NARCISSUS Pseudo-Narcissus dictam, considerare velis, et cum reliquis comparare. vid. *Tournef.* I. R. H. Tab. 185. D.
- c. *Squamae*: v. g. in Staminum filamentis. vid. AMARYLLIS Belladonna. Tab. 18. Fig. 3. N. N.\*

### §. 26.

Qui *Formam*, *Locum*, aliasve conditiones indicant *Termini Nectarium Linnaeani*, praecipui sunt sequentes:

- a. *Proprium Nectarium*: (§. 25. A.) si a petalis et caeteris Fructificationis partibus distinctum est.
- b. *Calcaratum*: Nectarium (§. 25. A.) cornu instar postice prominens.
- c. *Petalinum*: Nectarium (§. 25. A.) petalis insertum.
- d. *Coronans Corollam*: Nectarium (§. 25. B.) intra petala.

e. *Staminea*: Nectaria (§. 25. B.) in filamentis.

f. *Pistillacea*: Nectaria (§. 25. B.) circa Germen.

E x e m p l a :

- a. *Proprium Nectarium*: ACONITUM Napellus. Tab. 48. Fig. 2. N. N. MELIANTHUS major. Tab. 53. Fig. 2. 5. N.
- b. *Calcaratum*: AQUILEGIA vulgaris. Tab. 49. Fig. 1. 3. 4. 5. N.
- c. *Petalinum*: RANUNCULUS bulbosus. Tab. 51. Fig. 3. C. 4. 5. N!
- d. *Coronans*: PASSIFLORA caerulea. Tab. 74. Fig. 2. N. Fig. 4. Corona triplex: (1. 2. 3.)
- e. *Staminea*: AMARYLLIS Belladonna. Tab. 18. Fig. 3. N. N. \*
- f. *Pistillacea*: (Glandulae quatuor circa Germen) CHEIRANTHUS incanus. Tab. 55. Fig. 5. g.



CAPIT. II. SECTIO II.

PARTES ESSENTIALES FLORIS:  
ORGANA GENERATIONIS  
MASCULA, FEMINEA:

D. STAMEN. E. PISTILLUM. F. SEXUS.  
FLORUM ET VEGETABILIIUM.

---

§. 27.

*Fructificationis* five *Floris Partes essentielles* (§. 9.)  
sunt ORGANA GENERATIONIS, five *GENI-*  
*TALIA*.

A. *mascula*, quae STAMINA, (§. 28.) et  
B. *feminea*, quae PISTILLA (§. 30.) ap-  
pellantur.

---

D. S T A M E N.

(§. 7. III. §. 9. Sect. II. D.)

---

§. 28.

STAMEN, Organon genitale masculinum, five  
Viscus, e Ligno (§. 5. n. 5.) productum, pro prae-  
paratione et excretionem Pollinis. (§. 29. n. 3.)

Infitā vis impraegnans genitalia feminea (§. 27. B.) tempore Florescentiae (§. 8.) fecundat femina.

## §. 29.

*Staminis* (§. 28.) tres PARTES notamus, quae sunt:

I. FILAMENTUM: Pars elevans annectensque Antheram, (n. 2.) eique succos pro Pollinis (n. 3.) secretionē afferens.

## E x e m p l a :

*Filamenta Staminum distincta*: MONARDA fistulosa. Tab. 3. Fig. 3. f. AMARYLLIS Belladonna Tab. 18. Fig. 3. f.

*connata*: Classes MONADELPHIA: DIADELPHIA: POLYADELPHIA.

*aliquando deficiunt*: e. g. CANNA indica. Tab. 1. 2. 5. VISCUM album. Tab. 87. Fig. 1. 3. 4. \*

2. ANTHERA: „Pars floris, gravida Polline, quod matura dimittit.” LINN. *Phil. bot.* §. 86. III. p. 52. n. 11.

i. e. Viscus five Organon, secretioni, afferationi ad tempus, et eiaculationi Pollinis, (n. 3.) genitalibus femineis (§. 25. B.) inspergendi interveniens.

## E x e m p l a :

*Anthera*: MONARDA fistulosa. Tab. 3. Fig. 6. \* a. Tab. annexa A. Fig. 5. valde aucta. AMARYLLIS Belladonna. Tab. 18. Fig. 3. a.

3. POLLEN definitur a *LINNAEO*: „Pulvis floris humore rumpendus, atomosque elasticos eiacularans.” *l. c. n. 12.*

i. e. Farina in Anthera (§. 2.) contenta, (quoad vim prolificam animalium femini masculo analoga,) genitalibus femineis, five Pistillis (§. 27. B.) inspersa, embryones seminum fecundans halitu vivificante, vel ut appellatur *aura seminali*, quam efflant moleculae Pollinis, vi elastica (per humidam actionem concitata) disruptae.

E x e m p l a :

*Antherae Polline plenae: Tab. annexae A. Fig. 5.* Antheram *MONARDAE* fistulosae valde auctam repraesentat, Pollen explodentem; confer Tab. 3. Fig. 6. \*  
a. Antheram clausam, itemque disruptam. SEMPERVIVI tectorum, Tab. 40. Fig. 9. a. l. Antheram ante, a. m. post explosionem Pollinis.

---

E. P I S T I L L U M.

(§. 7. IV. §. 9. Sect. II. E.)

---

§. 30.

**P**ISTILLUM definit *LINNAEUS*: „Viscus fructui adhaerens, pro Pollinis receptione.” *Phil. bot.* §. 86. IV. p. 53.

i. e. Organon genitale femineum, (§. 27. B.) five Viscus e Medulla (§. 5. n. 6.) enatum, Seminum embryones continens, adque eorum vivifica-

tionem *auram* Pollinis *feminalem* (§. 29. n. 3.) abforbens.

### §. 31.

*Pistilli* tres PARTES notamus; quae sunt:

I. GERMEN. „Pars inferior, rudimentum Fructus immaturi, in flore.” LINN. *Phil. bot. l. c. n. 13.*

i. e. Seminum embryones continens, horumque impraegnatione per *auram* Pollinis *feminalem* (§. 29. n. 3.) facta, sensim sensimque in *Fructum* excrefcens.

### E x e m p l a :

*Germen*: CROCUS fativus. Tab. 6. Fig. 4. g. AMARYLLIS Belladonna. Tab. 18. Fig. 3. g. OXALIS Acetofella. Tab. 35. Fig. 7. g. Germinis aucti sectionem horizontalem Fig. 7. confer cum Sectione Capsulae. Fig. 9.

Notamus hic Terminos SITUM *Germinis* respectu ad Corollam (§. 18. n. 3.) indicantes:

a. Si *Germen*, quod fit fere in plerisque, locatur *supra Corollam*: Corolla *infera* dicitur a LINNAEO; *Flos hypocarpus* GLEDITSCHIO: *Germen* vero *superum*, posteaque Pericarpium *superum*, s. Fructus *superus* audit.

b. Si autem *Germen* locatur *infra Corollam*: Corolla *supera* a LINNAEO; *Flos epicarpus* GLEDITSCHIO; *Germen inferum*, posteaque Pericarpium *inferum*, s. Fructus *inferus* vocatur. vid. infra §. 52. n. 1.

## E x e m p l a :

- a. *Germen superum*; — *Corolla infera*: PARNASSIA palustris. Tab. 15. Fig. 2. 9. CRASSULA coccinea. Tab. 16. Fig. 4.
- b. *Germen inferum*; — *Corolla supera*; CANNA indica. Tab. 1. Fig. 1. g. CROCUS fativus. Tab. 6. Fig. 4. g. PUNICA Granatum. Tab. 41. Fig. 3. Sectio germinis calyce inclusi.

2. STIGMA: „Summitas Pistilli madida humore Pollen rumpendo.” LINN. *Phil. bot.* p. 53. n. 15.

i. e. Apex Pistilli, madidus humore secreto proprio, (menstruis analogo, MILLER,) moleculas Pollinis dissolvente, earumque auram feminalem (§. 29. n. 3.) absorbens, quae transit ad embryones feminum in Germine contentorum vel immediate,

## E x e m p l a :

*Stigma sessile*: PIPER nigrum. Tab. 5. Fig. 5. g. *Germen*. t. *Stigma*. — PARNASSIA palustris. Tab. 15. Fig. 8. g. *Germen*. t. *Stigma*.

vel communicationi huic infervit

3. STYLUS. „Pistilli Pars media, Stigma elevans a Germine.” LINN. p. 53. n. 14.

Hinc, ob analogiam cum Tuba Fallopiana in animalibus, ab HALLERO aliisque *Tuba*; uti *Germen*, *Ovarium* appellatur.

## E x e m p l a :

*Stylus gerens Stigma*: CROCUS fativus. Tab. 6. Fig. 4. g. *Germen*. s. *Stylus*. t. *Stigma*. — AMARYLL-

LIS Belladonna. Tab. 18. Fig. 3. g. Germen. s. Stylus. t. Stigma. — OXALIS Acetofella. Tab. 35. Fig. 7. g. Germina. s. Styli quinque. t. Stigmata. — PUNICA Granatum. Tab. 41. Fig. 3. g. Germinis calyce inclusi Sectio longitudinalis. s. Stylus. t. Stigma. — CITRUS Aurantium. Tab. 64. Fig. 6. g. Germen. s. Stylus. t. Stigma. Eiusdem valde aucti Sectio transversalis, cum loculamentis novem in eo conspicuis. Fig. 7. \*

## F. SEXUS

### FLORUM ET VEGETABILIIUM.

(§. 9. Sect. II. F.)

#### §. 32.

**E**x ante dictis (a §. 27. ad 31.) clare patebit frequens et *Florum et Vegetabilium* quoad SEXUM distinctio:

1. *Flos Mas*, five *masculus, masculinus*: cui sola mascula genitalia, i. e. *Stamina* (§. 28.) propria sunt. Hinc *stamineus* quoque dicitur.

#### E x e m p l a :

*Flos Mas*: IUGLANS regia. Tab. 81. Fig. 1. 3. 4. \*  
 PINUS sylvestris. Tab. 82. Fig. 2. 3. \* a. SALIX  
 fusca. Tab. 85. Fig. 2. \* POPULUS nigra. Tab. 90.  
 Fig. 1. \*

2. *Flos Femina*, five *femineus, femininus*: qui solummodo genitalibus femineis, i. e. *Pistillo* (§. 30.) praeditus est. Hinc etiam *pistillatus* vocatur.

## E x e m p l a :

*Flos Femina*: IUGLANS regia. Tab. 81. Fig. 5. 6. \* 8. \*  
 PINUS sylvestris. Tab. 82. Fig. 6. \* SALIX fusca.  
 Tab. 85. Fig. 7. \* POPULUS nigra. Tab. 90. Fig. 7. \*

Hi duo, (n. 1. 2.) quorum approximatione opus, ad generationis functionem absolvendam, *Flores relativi* appellantur.

3. *Flos Hermaphroditus*; instructus et genitalibus masculis et femineis, i. e. *Staminibus* (§. 28.) atque *Pistillis*, (§. 30.) in uno eodemque flore praesentibus.

## E x e m p l a :

*Flos hermaphroditus*: CROCUS fativus. Tab. 6. Fig. 3. 4.  
 AMARYLLIS Belladonna. Tab. 18. Fig. 3.

Ob praesentiam genitalium utriusque sexus, utpote requisito ad functionem generationis necessario, hic (n. 3.) merito *Flos perfectus* dicitur.

4. *Flos Hermaphroditus mancus*, a LINNAEO *Flos Hermaphrodita* vocatus, (*Phil. bot.* §. 149. p. 94. 95.) est: qui ob labem organorum alterutrius sexus, fructum et semina ipse perficere nequit, sed interventu aliorum indiget, hunc defectum compensantium.

## E x e m p l a :

*Flos hermaphroditus mancus*; *Flos hermaphrodita* Linnaei: MENISPERMUM canadense. Tab. 93. Fig. 6. ob Stamina sterilia. CLUTIA pulchella. Tab. 97. Fig. 2. 6. ob Pistillum mutilatum, in specie Germen; itemque: VERATRUM album. Tab. 98. Fig. 9. 10.

5. *Flos neuter*: in hoc utriusque sexus organa vel deficientia omnino, vel mutilata, hinc abortiva, aut profus sterilia.

E x e m p l a

*Flos neuter; abortivus*: CALENDULA officinalis. Tab. 69. Fig. 4. Flores hermaphroditi in disco abortientes. Fig. 8. *profus sterilis*: HELIANTHUS annuus. Tab. 68. Fig. 5. in quo Stigma nullum, in floribus radii. VERATRUM album. Tab. 98. Fig. 9. 10. in quo Pistilli rudimentum vanum:

6. *Planta Mas*, itaque est: quae unice flores masculos (n. 1.) gerit.

7. *Planta Femina*: quae solummodo flores femineos (n. 2.) fert.

E x e m p l a

*Florum relativorum* (n. 1. 2.) offert Systematis Linnaeani Classis XXI. MONOECIA, in una eademque *Planta*, sed locis diversis praesentium.

Classis XXII. DIOECIA vero *Flores relativos* in duas *Plantas* separatas distributos, sic, ut altera solos mares, altera femineos gerat.

8. *Planta Hermaphrodita*, quae perfectos gerit flores hermaphroditos. (n. 3.)

E x e m p l a

*Plantarum Hermaphroditarum*, Linnaeani Systematis Classis I. ad XVIII. porro XX. et XXIII. abunde subministrant.

9. *Planta Androgyna; Monophyta; Monoica*: quae utrosque flores relativos (n. 1. et 2.) in eodem quidem individuo, at separatis locis, hic masculos, illic femineos fert.



## E x e m p l a

*Plantarum Androgynarum*: tota Classis XXI. **MONOECIA.**

10. *Planta Dioica; Diphyta*: cuius flores relativi (n. 1. et 2.) in duo individua distributi sunt, altero flores mares solos, (n. 1.) altero femineos tantum (n. 2.) gerente.

## E x e m p l a

*Plantarum Dioicarum* suggerit Classis XXII. **DIOECIA.**

11. *Planta Polygama*: quae gerit praecipue flores *Hermaphroditos* perfectos; (n. 3.) praeter hos vero simul alios *relativos* mixtos, aut masculos, (n. 1.) aut femineos, (n. 2.) aut hermaphroditos mancos, (*hermaphroditas* Linn. n. 4.) in aliquot separatis individuis, vel in eodem.

## E x e m p l a

*Plantarum Polygamarum* offerunt: tota Classis XXIII. **POLYGAMIA.** et Classis XIX. **SYNGENESIAE** Ordines priores I - V.

12. *Planta Cryptogama*: cuius organa generationis singulari modo constructa, abscondita, tanque exilia, ut nudo oculo distingui nequeant.

## E x e m p l a

*Plantarum Cryptogamarum*: tota Classis XXIV. **CRYPTOGAMIA.**

---

## CAPIT. II. SECTIO III.

PRODUCTA GENERATIONIS.  
FRUCTUS MATURUS.

G. PERICARPIUM. H. SEMEN.

## G. P E R I C A R P I U M.

(§. 7. V. §. 9. Sect. III. G.)

## §. 33.

**P**ERICARPIUM appellat *LINNAEUS*: „Viscus gravidum feminibus, quae matura dimittit.” Ad-  
dimus ad illustrationem dicti:

1. Facta impraegnatione embryonum semi-  
num, (§. 29. n. 3. §. 31. n. 1. 2.) Germen, antea  
rudimentum Fructus immaturi, (§. 31. n. 1.) sen-  
sim sensinque increscendo, mutatur in Fructum  
perfectum, dimittentem Semina matura; i. e. quae  
acquisita qualitate germinandi, ad producendam  
novam, matri similem plantam, idonea facta sunt.

2. Notandum porro: PERICARPIUM et  
FRUCTUS saepe Synonyma esse, hisque vocibus  
tunc haud Semina ipsa, sed ea occludens Integu-  
mentum, si tale adest, proprie denotari.

Exceptionem vide infra (§. 48. d.) in Fructu sic dicto gymnospermo.

3. De *Pericarpium* SITU confer de Germine supero, infero, (§. 31. n. 1. a. b.) dicta.

4. Si deest *Pericarpium*, eius *vices* suppleant praecipue: *Calyx* et *Corolla* persistens, aliaeve partes, e. g. *Arillus*, aut Integumentum proprium Seminis crassius, duriusculum, quod *Crusta Seminis* appellari solet. (Confer dicta §. 48. d.)

#### Exempla:

*Calyx in vicem Pericarpium*: POLYGONUM Fagopyrum. Tab. 27. Fig. 7. \* K. AGRIMONIA Eupatoria. Tab. 38. Fig. 9. 10.

*Corolla et simul Calyx*: RUMEX crispus. Tab. 20. Fig. 8.

*Corollae Glumae in Graminibus*: ANTHOXANTHUM odoratum. Tab. 4. Fig. 4. 5. \* C. S. AVENA fatua. Tab. 7. Fig. 8. 9. \* ORYZA fativa. Tab. 19. Fig. 9. P. Fig. 8. C. C. \*

*Arillus*: GERANIUM zonale. Tab. 57. Fig. 8. 9. ALCEA rosea. Tab. 59. Fig. 9. 10. 11. A. Bacca in Arillum mutata: PIPER nigrum. Tab. 5. Fig. 10. 12.

*Crusta Seminis*: PETIVERIA alliacea. Tab. 21. Fig. 6. 7. \* FRAXINUS Ornus. Tab. 99. Fig. 6. 7. 8.

#### §. 34.

*Pericarpium* (§. 33.) PARTES quaedam externae et internae distinguuntur Terminis propriis; Praecipuae sunt:

a. *Valvula*: „Paries, quo Fructus tegitur externe.” LINN, *Philos. bot.* §. 86. V. n. 16. p. 53. Addimus:

Dehiscentiam Pericarpium naturalem, five aperturam, per quam semina matura exeunt, optime indicare numerum Valvularum.

b. *Sutura* dicitur Nexus Valvularum, (a.) five locus coniunctionis singularum partium, quae in parietem externum Pericarpium coaluerunt, plerumque linea commissurae distinguendus.

E x e m p l a :

*Pericarpium univalve; Sutura simplici:* AQUILEGIA vulgaris. Tab. 49. Fig. 10. 12.

*Pericarpium bivalve; Suturis duabus:* CHEIRANTHUS incanus. Tab. 55. Fig. 9. v. v. LATHYRUS latifolius. Tab. 62. Fig. 10.

*Pericarpium trivalve; Suturis tribus:* CANNA indica. Tab. 1. Fig. 9. AMARYLLIS Belladonna. Tab. 18. Fig. 7.

*Pericarpium quadrivalve;* PARNASSIA palustris. Tab. 15. Fig. 10. OENOTHERA biennis. Tab. 25. Fig. 9.

*Pericarpium quinquevalve:* SARRACENIA flava. Tab. 46. Fig. 9.

*Pericarpium sexvalve:* STELLARIA graminea. Tab. 34. Fig. 9.

c. *Dissipimentum:* „Paries quo Fructus interne distinguitur in concamerationes plures.” LINN. l. c.

d. *Loculamentum:* „Concameratio vacua pro seminum loco.” LINN. l. c.

Numerari solent Loculamenta, five cellulae in quibus locata sunt Semina. In transversim secto Pericarpio distincte Loculamenta apparent.

Exem-

## E x e m p l a :

*Pericarpium uniloculare*: TURNERA Ulmifolia. Tab. 14. Fig. 7. PARNASSIA palustris. Tab. 15. Fig. 9. u.

*Pericarpium biloculare*: HAMAMELIS virginiana. Tab. 10. Fig. 10. CHEIRANTHUS incanus. Tab. 55. *Dissepimento valvis parallelo*: Fig. 8. POLYGALA Myrtifolia. Tab. 61. *Dissepimento valvis contrario*; Fig. 12. 13. 14.

*Pericarpium triloculare*: CANNA indica. Tab. 1. Fig. 8. AMARYLLIS Belladonna. Tab. 18. Fig. 6.

*Pericarpium quinqueloculare*: SARRACENIA flava. Tab. 46. Fig. 8.

*Pericarpium sexloculare*: STRATIOTES Aloides. Tab. 50. Fig. 11.

*Pericarpium novemloculare*: PUNICA Granatum. Tab. 41. *Loculamenta*: Fig. 7. l. *Dissepimenta*: d.

e. *Columella*: „Pars connectens parietes internos cum feminibus.” LINN. l. c.

i. e. Axis in centro uniens Dissepimenta. (c.) Addimus: ob formam sic appellari; esse tamen quandoque *Columellam liberam*, sive nusquam cum parietibus Pericarpium cohaerentem; talem vero, a LINNAEO *Receptaculum Seminum liberum* vocari.

## E x e m p l a :

*Columella; in nexu cum Dissepimentis*: MOLLUGO verticillata. Tab. 8. Fig. 8. 9. 11. SARRACENIA flava. Tab. 46. Fig. 8. 9. c.

*Columella libera*: TURNERA Ulmifolia. Tab. 14. Fig. 7. (conf. §. 49. exempla. f. t.)

## §. 35.

*Pericarpium* (§. 33.) SPECIES distinguit LINNAEUS sequentes octo, Terminis propriis;

1. *CAPSULA*. (§. 36.) 2. *SILIQUA*. (§. 37.) 3. *LEGUMEN*. (§. 38.) 4. *CONCEPTACULUM*. (§. 39.) 5. *DRUPA*. (§. 40.) 6. *POMUM*. (§. 41.) 7. *BACCA*. (§. 42.) 8. *STROBILUS*. (§. 43.) five *CONUS*.

## §. 36.

*CAPSULA* (§. 35. n. 1.) appellatur a *LINNAEO*: „Pericarpium cavum, determinate dehiscens.” *Philos. bot.* p. 53. n. 16. Addimus:

1. *Capsulae* SUBSTANTIA in termino maturitatis sicca est.

2. Eius DIVISIO in loculos five Loculamenta, (§. 34. d.) probe discernenda est a congerie plurimum Capsularum, quae e totidem Germinibus singuli Floris ortae sunt. Hanc indicant sequentes Termini comparationis:

a. *Simplex Capsula* dicitur, (in relatione ad plures, b. c. d.) unica, e Germine simplici Floris. Vocatur quoque: *Pericarpium unicapsulare*; *Fructus unicapsularis*.

b. *Duplex Capsula*: i. e. duae Capsulae aggregatae, ortae e duobus Germinibus singuli Floris; five *Pericarpium bicapsulare*; *Fructus bicapsularis*.

c. *Triplex Capsula*; *Pericarpium tricapsulare*; *Fructus tricapsularis*; — — et sic porro, Capsularum aggregatarum unius eiusdemque Floris numerum speciatim, vel generaliter indicando:

d. *Multiplex Capsula; Pericarpium multicapsulare; Fructus multicapsularis.*

3. DEHISCENTIAM *Capsulae*, eiusque varios modos illustrabunt exempla.

E x e m p l a :

n. 2. a. *Simplex Capsula;*

*Dehiscencia in suturis, apice:* CANNA indica.  
Tab. 1. Fig. 7. 9. OENOTHERA biennis.  
Tab. 25. Fig. 7. 9.

*Dehiscencia horizontalis:* HYOSCYAMUS niger.  
Tournesf. Instit. rei herbar. Tab. 42. F. G. H.  
Talis Capsula *circumcissa* vocatur.

*Dehiscencia in angulis:* OXALIS Acetofella.  
Tab. 35. Fig. 10.

b. *Duplex Capsula:* PAEQNIA officinalis. Tab. 47.  
Fig. 5. *ab uno latere dehiscens.*

c. *Triples Capsula:* VERATRUM album. Tab.  
98. Fig. 5. *a latere dehiscens.*

*Quintuplex Capsula:* CRASSULA coccinea.  
Tab. 16. Fig. 8. P. *Dehiscencia a basi:*  
Fig. 9. d.

d. *Multiplex Capsula:* SEMPERVIVUM tectorum.  
Tab. 40. Fig. 12. *Dehiscencia a basi.* Fig. 14.

§. 37.

SILIQUA (§. 35. n. 2.) est LINNAEO: „Pericarpium bivalve, affigens semina secundum futuram utramque.” *Philos. bot. p. 53. n. 17.*

Notanda in ista specie Pericarpium, (plerumque bilocularis,) longitudinis latitudinisque proportio.

Si eius Figura longa et angusta est, longitudine aliquoties latitudinem superante, *Siliqua proprie* dicitur.

Si vero proportione aequalitati magis accedente, Forma rotundior, brevior evadit, *Silicula* appellatur.

## E x e m p l a :

*Siliqua*: CHEIRANTHUS incanus. Tab. 55. Fig. 7. 8. 9.  
De Figura 9, notandum: Membranam Diffepimenti occultare Seminum, alterae futurae in facie postica alternatim affixorum seriem.

*Silicula*: LUNARIA annua. Tab. 54. Fig. 7. 8.  
Idem valet monitum quoque de Fig. 8. in qua Semina alterae futurae affixa, per membranam Diffepimenti subpellucidam conspicua.

De *Siliqua* confer: Leucoium. *Tournef.* Inst. rei herb. Tab. 107. G. feminum alternatim affixorum nexus.  
*Silicula* Lunariae: *Tournef.* I. R. H. Tab. 105. H.

## §. 38.

LEGUMEN (§. 35. n. 3.) dicitur a *LINNAEO*: „Pericarpium bivalve, affigens semina secundum futuram alteram tantum.” *Philos. bot.* p. 53. n. 18.

Addimus: Plantis Classis *XVII. DIADELPHIAE*, Legumina propria esse, sicut plurimae earum Floribus papilionaceis (§. 23. n. 6.) gaudent.

## E x e m p l u m :

*Legumen*: LATHYRUS latifolius. Tab. 62. Fig. 9. 10.  
Semina futurae posticae crassiori affixa: Fig. 10.

## §. 39.

CONCEPTACULUM (§. 34. n. 4.) vocatur a *LINNAEO*: „Pericarpium univalve, latere longitudinaliter dehiscens, a seminibus distinctum.” *Philos. bot.* p. 53. n. 19. Notamus:



1. CONCEPTACULUM et FOLLICULUS Synonima esse *LINNAEO*.

2. FOLLICULUS definitur a *LINNAEO* in *Terminis botanicis*: „Pericarpium univalve, latere altero longitudinaliter dehiscens, nec Suturae semina affigens.” *Term. edit. Gisek. alter. p. 98, n. 559.*

Character essentialis ergo est: praeter dehiscentiam unilateralem, Semina *Receptaculo proprio* affixa.

#### E x e m p l a :

*Conceptaculum*: Sub hoc nomine allegavit *MILLER*, *Tab. annexae A, Fig. 6.*

*Folliculi duo*: *NERIUM Oleander. Tab. 12. Fig. 8.*

Confer quoque elegantissimas, ideamque *Folliculi* s. *Conceptaculi Linn.* optime exprimentes Figuras in *Tournefort. Inst. rei herb. Tab. 21. Apocynum. Fig. 6 — 12. Receptaculum proprium: Fig. 9. Semina eidem affixa: Fig. 11.*

#### §. 40.

DRUPA (§. 35. n. 4.) est *LINNAEO*: „Pericarpium factum exvalve, nucem continens.” *Philos. bot. p. 53. n. 20.*

1. i. e. Fructus, in maturitatis statu plerumque mollis, in medio *Nucem*, sive Semen duro putamine inclusum, continens: Substantia Nucem ambiens ut plurimum tota succulenta, vel subcarnosa, aliquando vero magis exsucca ac spongiosa: Haec post maturitatem vel putrescendo dissoluta, aut marcescens a Nuce abscedit.

2. Si substantiae exsuccae spongiosae est, appellatur *DRUPA sicca.*

3. Addimus adhuc ad illustrationem definitionis Linnaeanae;

Pericarpium dici *farctum*, in quo spatium internum, seu cavum peculiari quadam substantia, feminaque ambiente, repletur: *Evalve* autem, quia, deficientibus futuris, in Valvulas (§. 34, a. b.) dehiscere nequit.

E x e m p l a :

*Drupa succulenta*: PRUNUS Cerasus. *Tournefort*. Inst. rei herb. Tab. 401. E. dissecta verticaliter: F. Nux. G. H.

*Succulento - carnosae Drupa*: AMYGDALUS Perfica. *Tournef.* I. R. H. Tab. 400. E. Sectio carnis verticalis: F. Nux cum Putamine: G. Putamen fissum: I. Nucleus intro contentus: H.

*Sicca Drupa*: AMYGDALUS communis. *Tournefort*. I. R. H. Tab. 402. integra Drupa: F. Nux intro contenta: E. Putamen fissum: G. Cavum eius Nucleum excipiens: H. —

IUGLANS regia. Tab. 81. integra Drupa: Fig. 9. Sectio horizontalis; exempta Nuce: Fig. 10. Nux integra: Fig. 11. Putamen nucleo vacuum cum loculis suis: Fig. 12. Nucleus e Putamine exemptus: Fig. 13.

§. 41.

POMUM (§. 35, n. 6.) appellatur a *LINNAEO*: „Pericarpium farctum, evalve, Capsulam continens.” *Philos. bot.* p. 53, n. 21.

i. e. Fructus continens in medio Semina, loculis inclusa. Ambiens Substantia carnosae suscipit loculos, e membranis per futuras cohaerentibus formatos; inde est nomen *Capsulae* in medio Pomo.

E x e m p l u m :

*Pomum*: PYRUS Malus. Tab. 44. Pomum integrum Fig. 7: transversim sectum: Fig. 8. Loculi, sive

loculamenta quinque; L. quibus *Capsulae* ad instar *Semina* recipiuntur. *Membranae* loculos constituentes: Fig. 11.

## §. 42.

BACCA (§. 35. n. 7.) est: „Pericarpium factum, evalve, *Semina* ceteroquin nuda continens.”

*LINN. Philos. bot. p. 53. n. 22.* Alia definitio Eius:

„BACCA est succulentus Fructus, proprie ex Pericarpio facta, improprie ex parte qualibet.”

*Philos. bot. p. 75. §. 113.*

Idea *Baccae* itaque est: Fructus succulentus, cuius Pulpa mollis, ut plurimum tota liquida aut gelatinosa, immediate recipit *Semina* et obvolvitur.

Notanda vero simul sequens distinctio *Baccarum* harumque Terminum in scriptis Linnaeanis occurrentes:

a. *Propria Bacca*: Si Germen in Fructum talem succulentum mutatur.

b. *Impropria* five *spuria Bacca*: Si Calyx, Receptaculum, vel alia pars persistens, maturitatis tempore succulentus evadit.

c. *Composita Bacca*: Si plures, (ex unius Floris germinibus pluribus ortae) singulae *Bacculae*, quae etiam *Acini* vocantur, et quarum quaelibet Semen continet Pulpa involutum, sic inter se coaluerunt, in aliqua parte, ut absque dilaceratione totius, separari nequeant.

## E x e m p l a :

- a. *Propria Bacca*: CASSYTA baccifera. Tab. 29. Fig. 7. 8. 9. CRATAEGUS Aria. Tab. 42. Fig. 7. 8. 9. SORBUS aucuparia. Tab. 43. Fig. 7. 8. EMPE-TRUM nigrum. Tab. 86. Fig. 9. 10.
- b. *Impropria f. spuria Bacca*:  
*Calyx baccatus*: BLITUM virgatum. Tab. 2. Fig. 8. 9. P.  
*Receptaculum baccatum*: FRAGARIA vesca: *Tournef.*  
 Inst. rei herb. Tab. 152. Receptaculum germinum  
 f. feminum immaturorum D. Idem carnosum factum, cum Seminibus affixis: E. Idem Seminibus e foveolis exemptis F. Semina separata: G. — —  
 FICUS Carica. Tab. 100. Fig. 11. 12.  
*Arillus baccatus*: MOMORDICA Charantia. Tab. 83. Fig. 11. A.
- c. *Composita Bacca*: RUBUS fruticosus. Tab. 46. Fig. 8. 9. 10.

## §. 43.

STROBILUS (§. 35. n. 8.) definitur a *LINNAEO*: „Pericarpium ex Amento factum.” *Philos. bot. p. 53. n. 23.* Additur in *Terminis botanicis*: „squamis induratis.” *edit. alter. Gisek. p. 7. n. 387.* itemque *pag. 100. (post. numer. 566.)*

Subiungimus quaedam monita ad illustrationem :

a. Sciat tiro, voces STROBILUS, et CONUS Synonyma quidem esse, cum sequente tamen differentiae nota:

b. STROBILUS ut plurimum appellari solet: Si Squamae Amenti (§. 13.) in femineis floribus, (§. 32. n. 2.) Calycis vices gerentes, membranae factae sunt:

c. CONUS vero, si Squamae Amenti feminei, ad ligneam quasi duritiem accedunt.

## E x e m p l a :

- b. *Strobilus*: HUMULUS Lupulus. Tab. 88. Fig. II.  
Squama membranacea Semen sustinens: Fig. 12. 13.
- c. *Conus*: PINUS sylvestris. Tab. 82. Conus clausus:  
Fig. 7. Coni Squamae induratae; incrassatae, patentes: Fig. 8. 9. s.

## H. S E M E N.

(§. 7. VI. §. 9. Sect. III. H.)

## §. 44.

SEMEN est secundum LINNAEUM: „Pars Vegetabilis decidua, novi rudimentum, Pollinis irrigatione vivificatum.” *Philos. bot.* p. 54. §. 86. VI. itemque :

„SEMEN (proprie) novum Vegetabilis rudimentum, humore rigatum, vesica tunicatum.” *ibid.* n. 24.

Quae superius (§§. 28. 29. 30. 31. 33.) dicta sunt, hic applicanda, quid sit *Semen*? qualis eius origo? quis finis? docent.

## §. 45.

Notamus *Seminis* PARTES sequentes *principales*:

I. *Corculum*: quod a LINNAEO dicitur: „Novae Plantae primordium intra Semen.”

Constat Corculum e duabus, in Semine per macerationem in aqua ad germinandum disposito, conspicuis partibus :

a. *Plumula*: sic appellatur Pars Corculi squamosa ascendens, procrefcensque in Herbam five Truncum. Huic inferius oppositum est

b. *Rostellum*: Pars nempe Corculi simplex, descendens, in Radicem protensa.

2. *Nucleus*: five Corpus Seminis, ambiens, nutriens, Corculumque (n. 1.) defendens; nunc

*unicum*, nunc e *pluribus* partibus constans, quae *Cotyledones* appellantur.

*α. Cotyledon* definitur a *LINNAEO*: „Corpus laterale Seminis, bibulum, caducum.” *Phil. bot.* p. 54. n. 24. b. Ad illustrationem addimus:

*β. Cotyledones* arcte ambientes Corculum (n. 1.) sub germinatione, succis crudis per Hilum (§. 46. n. 3.) intransibus tumefactae, eosdem digerunt; atque sic embryoni Plantae, s. Corculo, idem ab initio officium praestant, ac Cotyledones Placentae animalium, foetui; Postea vero Plantulam e terra progerminantem concomitantes, ab iniuriis defendunt, et nunc formam *Foliorum*, (sed discrepantium a reliquis) simulantes, munere uberrum quasi funguntur in Planta tenella, succos nutritios ipsa digerendi adhuc impote: Deinceps auctis Plantae viribus digestionis, ac cessante nunc officii istius necessitate, marcidae decidunt. Ex his patet, cur appellentur

γ. Plantae *mono-di-polycotyledones*? secundum numerum nempe Cotyledonum in Planta e terra progerminante conspicuarum.

## §. 46.

3. *Hilum* appellatur: „Cicatrix externa Seminis ab eiusdem affixione in fructu.” LINN. *l. c. n. 24. c.*

i. e. Levis quaedam impressio in illa parte Seminis, quacum mediante parvo pedunculo, funiculi umbilicalis adinstar, adhaesit Pericarpio. (Vid. funiculi insignis longitudinis specimen, in Seminibus LUNARIAE annuae Tab. 54. Fig. 8. S.) Iuxta hunc exiguum est foramen, per quod humidum e terra intrat.

4. *Epidermis*, five Cuticula Semen arctissime vestiens, a corruptione praeservans, sub germinatione, a recepto per Hilum (n. 3.) intrante humido, vesicae instar, tumens.

## E x e m p l a :

*Semen PHASEOLI vulgaris coccinei, Tab. annexa A.*

*Epidermide* vestitum. Fig. 9.

*Hilum*: Fig. 9. e.

*Cotyledones*: Fig. 7. 8. d.

*Corculum*: Fig. 7. a. huius

*Plumula*: Fig. 7. b. in Herbam procrescens: Fig. 8. b.

*Rostellum*: Fig. 7. a. in Radicem protensa: Fig. 8. c.

## §. 47.

*Seminis PARTES accidentales* praecipuae sunt :

5. *Arillus*. Hunc LINNAEUS definit: „Est Tunica propria exterior Seminis, sponte secedens.” *Philos. bot. p. 54. n. 24. d.*

Monemus tironem, ne confundat *Arillum* cum Epidermide. (§. 46. n. 4.) Est enim *Epidermis* commune et essentialiale, *Arillus* vero accidentale quoddam, ac veluti secundarium Semina involvens tegmen, plerumque fugax, deciduum.

#### E x e m p l a

*Arillus*: PASSIFLORA caerulea. Tab. 74. Fig. 9. n. Semen cum Arillo expanso: \* magnitudine aucta. m. Arillus separatus. — ALCEA rosea. Tab. 59. Arillus: Fig. 11. A. Semen. S. — MOMORDICA Charantia. Tab. 83. Fig. 11. A.

6. *Corona*; *Coronula*: Sic vocatur a LINNAEO: „Calyculus adhaerens, quo volitat.” *Philos. bot. p. 54. n. 24. e.*

five: Calyculus persistens aridus Flosculi, (§. 11. e.) in apice Seminis, qui denticulis eminentibus formam Coronulae repraesentat.

#### E x e m p l u m :

*Corona*; *Coronula*: DIPSACUS laciniatus. Tab. 9. Fig. 8.

7. *Pappus* est LINNAEO: „Corona pennacea, pilosave, volitans.” *Philos. bot. l. c.* Ad dimus differentias sequentes:

a. *sessilis Pappus* vocatur, si Pappus insidet immediate apici Seminis.



b. *capillaris*, five *capillaceus Pappus*, si congerie florum simplicium constat.

c. *stipitatus*, si affigitur *Pappus* mediante pedunculo, qui *Stipes* audit.

d. *plumosus Pappus*, si filis ramosis, barbulam tenerrimae plumae quasi repraesentat.

#### E x e m p l a :

- a. *Sessilis Pappus*: *coronans Semen*: XERANTHEMUM  
annuum. Tab. 67. Fig. 13. 14. S. x.
- b. *Capillaris Pappus*; *sessilis*: NERIUM Oleander. Tab.  
12. Fig. 9. p.
- c. *Stipitatus Pappus*; *simplex*: LEONTODON Taraxacum.  
Tab. 66. Fig. 10. 11. \* p. *Stipes*: z.
- d. *Stipitatus Pappus*; *plumosus*: TRAGOPOGON pra-  
tense. *Tournefort*. Inst. rei herb. Tab. 270. G.

8. *Ala*: Membrana Seminis lateralis aut terminalis expansa. Similibus *Alis* aliquando *Pericarpia* gaudent.

In utroque casu *Semina alata* quidem dicuntur; ad posteriorem casum vero haec appellatio haud exacte quadrat, sed aptius dicas *Pericarpia alata*.

#### E x e m p l a :

- Lateralis Ala Seminis*: PENTAPETES phoenicea. Tab.  
58. Fig. 12. \*
- Terminalis Ala Seminis*: PINUS sylvestris. Tab. 82.  
Fig. 10.
- Pericarpia alata*: ACERIS Species omnes. *Tournef.*  
Inst. rei herb. Tab. 386. Acer. duo *Pericarpia* con-  
nata: G. H. eorum *Alae*: I. K. dissectum *Pericar-*  
*pium*: L. Semen intro contentum: M.

9. *Cauda*: „Semen terminatum filo.” LINN.  
*Term. bot. Gifek. alt. ed, p. 102. n. 582.*

Cauda in specie est Appendix filiformis, in quem vel Epidermis Seminis, (§. 46. n. 4.) vel Arillus (§. 47. n. 5.) prolongatur, flexilis, mollior: rigidior vero *Seta*, aut *Arista* appellari solet.

E x e m p l a:

*Cauda Seminis pileosa*: ANEMONE Pulsatilla. *Tournefort. I. R. H. Tab. 148. H. G. F.*

*Arista Arilli*: GERANIUM zonale. *Tab. 57. Fig. 11. p.*

Interviunt hae Seminum appendices: *Corona*, (n. 6.) *Pappus*, (n. 7.) *Ala*, (n. 8.) *Cauda*, (n. 9.) ad fecundam diffeminationem. Ob levitatem quam Seminibus conciliant, a vento in longinquum transportantur, et sub casu sic disponuntur, ut situ perpendiculari pars feminis, Corculum (§. 45. n. 1.) continens, eo facilius terram attingat.

§. 48.

Omittendo specialissima, quoad *Seminum Formam*, *Superficiem* et reliqua — ultimo adhuc subiungimus passim occurrentes in Botanicorum scriptis, *NUMERUM*, *SITUM* ac *TEGMEN* indicantes Terminos:

a. *Mono* — *di* — *tri* — *tetra* — — — *polypermum* dicitur Pericarpium, vel eius Loculamentum, unum, duo, tria, quatuor — — plura Semina continens: itemque

*a. mono — di — tri — tetra — — — polycoctum: vel*

*β. mono — di — tri — tetra — — — polypyrenum.*

*b. Nidulantia Semina: five „per pulpam sparfa” LINN. Phil. bot. p. 70. §. 104. i. e. in Fructus succulenti, f. Baccae pulpa, absque ordine determinato locata.*

*c. Angiosperma; Fructus angiospermus: Semina Pericarpio testā, i. e. perfecte inclusa; itemque exinde patet sensus vocum:*

*α. Monangia, Di — Tri — Tetrangia — — Polyangia, secundum conditiones nempe Pericarpium nunc simplicis, nunc duplicis, triplicis — — — vel multiplicis. Conf. §. 36. n. 2. a — d.*

*d. Gymnosperma; Fructus gymnospermus; Nuda Semina: quae proprie sic dicto Pericarpio carent. Adest quidem interdum Pars alia, Pericarpium vices gerens, sustentando Semina, haud vero tegens.*

*e. Libera Semina: quae solummodo sic dictae Columellae liberae (§. 34. e.) five ut LINNAEUS appellat, Receptaculo Seminum libero affixa, ob vacuum ambiens, haud attingunt latera parietis interni Pericarpium.*

## E x e m p l a :

- a. *Monosperma Bacca*: MENISPERMUM canadense. Tab. 93. Fig. 10.\*  
*Drupa ficca*: IUGLANS regia. Tab. 81. Fig. 9.  
 10. 11.

*Disperma Nux*: HAMAMELIS virginiana. Tab. 10.  
 Fig. 10.

*Capsula*: MERCURIALIS annua. Tab. 91. Fig. 9.\*

*Trisperma Capsula*: CLUTIA pulchella. Tab. 97.  
 Fig. 11.\*

*Polysperma Capsula*: PARNASSIA palustris. Tab. 15.  
 Fig. 10.\* ORCHIS latifolia. Tab. 72. Fig. 9.

«. *Tricocca Capsula*: EUPHORBIA Lathyris.  
 Tab. 39. Fig. 7. 8. 9.

*Tétracoccus Fructus*: SAURURUS cernuus. Tab.  
 24. Fig. 7. 8. \* P.

Notamus vero, si Pericarpium quaedam species, e. g. Capsula, aut Bacca tri — tetra — — polycocca dicitur, hasce expressiones semper denotare: Semina intro contenta in tot tubercula gibba protuberare; atque sic formam veluti plurium simplicium at concretarum Capsularum aut Baccularum simulare. vid. praeter supra allegata exempla quoque Baccam compositam RUBI fruticosi. Tab. 45. Fig. 8. 9. quae Bacca polycocca, itemque Fructus polycoccus dici poterit.

β. *Monopyrena Bacca*: PIPER nigrum. Tab. 5.  
 Fig. 10. SAURURUS cernuus. Tab. 24.  
 Fig. 8. \* Sectio horizontalis. MENISPERMUM canadense. Tab. 93. Fig. 10.\*

*Dipyrena Bacca*: CRATAEGUS Aria. Tab. 42.  
 Fig. 8. 9.

*Trippyrena Bacca*: SORBUS aucuparia. Tab. 43.  
 Fig. 8.

*Polypyrena Bacca; simplex*: PASSIFLORA caerulea. Tab. 74. Fig. 8. *Bacca composita polypyrena*: RUBUS fruticosus. Tab. 45.  
 Fig. 8. 9. 10.

b. *Nidulantia Semina*: PASSIFLORA caerulea. Tab. 74. Fig. 8. RIBES Uva crispa. Tournef. Inst. rei herb.

herb. Tab. 409. Grossularia. G. itemque *Weiß Forst* botanik. Tab. VIII. Fig. 81.

c. *Angiosperma*: Linnaei Syst. Classis XIV. Ordo II. **ANGIOSPERMIA**. e. g. **MELIANTHUS** maior. Tab. 53. Fig. 8. 9.

a. *Monangia*; *Di - Tri - Polyangia*: vid. horum Synonyma: Capsula simplex, duplex, tri — — multiplex cum allegatis figuris. (§. 36. n. 2. a. b. c. d.)

d. *Gymnosperma*: *Semina nuda in fundo calycis*: Classis Syst. sex. XIV. Ordo I. **GYMNOSPERMIA**. e. g. **MELITTIS** Melissophyllum. Tab. 52. Fig. 7. — **MONARDA** fistulosa. Tab. 3. Fig. 10.

*Nuda absolute*: **POTAMOGETON** natans. Tab. II. Fig. 9. 6. \* **MYOSURUS** minimus. Tab. 17. Fig. 9. **RANUNCULUS** bulbosus. Tab. 51. Fig. 7. 9.

e. *Libera Semina*: **TURNERA** Ulmifolia. Tab. 14. Fig. 7. 8. \*

CAPIT. II. SECTIO IV.

S U S T E N T A C U L A  
PARTIUM FRUCTIFICATIONIS.

I. R E C E P T A C U L U M.

(§. 7. VII. §. 9. Sect. IV. I.)

§. 49.

**RECEPTACULUM** definitur a *LINNAEO*: „Basis, qua Partes Fructificationis sex connectuntur”. *Philos. bot.* §. 86. p. 54. VII.

E

Est itaque Punctum fixum, quod nexui Partium Floris inservit, sustentando coniunctim plures earum; vel ad aliquam distantiam inter se, singulas: Hancce differentiam, nomine partis adiecto, indicant Termini sequentes.

RECEPTACULUM a. *Calycis*; (§. 10.) b. *Corollae*; (§. 18.) c. *Staminum*; (§. 28.) d. *Pistilli*; (§. 30.) e. *Fructus*; (§. 33.) f. *Seminum*: (§. 44. 48. d. e.) Quorum ideam exempla a nobis allegata clarius illustrabunt.

### Exempla:

#### a. Receptaculum Calycis:

α. *Involucri*: HAMAMELIS virginiana. Tab. 10. Fig. 1. 2. I. PASSIFLORA caerulea. Tab. 74. Fig. 3. a.

β. *Perianthii*: MYOSURUS minimus. Tab. 17. Fig. 1. 3. 4. 9.

*Perianthii duplicis*: SARRACENIA flava. Tab. 46. Fig. 2. itemque Fig. 6. (annulus prominens.)

b. *Receptaculum Corollae*: ADOXA Moschatellina. Tab. 28. Fig. 6. \* (paullo supra Germen.) — Confer Exempla allegata ad §. 52. n. 3. 4. 5. 12. 13.

c. *Receptaculum Staminum*: AESCULUS Hippocastanum. Tab. 23. Fig. 6. \* (puncta.) — ASARUM canadense. Tab. 37. Fig. 4. (ad apicem Germinis.) — PAEONIA officinalis. Tab. 47. Fig. 1. 4. (tres circuli.) — ALCEA rosea. Tab. 59. Fig. 3. 5. 6. (Tubus ab unguibus connatis Corollae malvaceae exurgens.) — SISYRINCHIUM Bermudiana. Tab. 73. Fig. 4. f. (Pistillum in GYNANDRIA.) — IUNIPERUS communis. Tab. 95. Fig. 2. r. (Rachis Amenti maris.) Confer Exempla §. 52. n. 2. 3. 4. 5. 6. 9. 10. b. c. d. 11. 12. 13.

d. *Receptaculum Pistilli*: Fundus Perianthii recipit Germen in plurimis; exceptis iis in quibus absens Pe-

rianthii vices supplet Corolla, vel alia pars; e. g. Squamae Amenti feminei.

Confer sequens Receptaculum Fructus; itemque §. 51. Exempla lit. A. *α. γ.*

e. *Receptaculum Fructus*: MYOSURUS minimus. Tab. 17. Fig. 9. 10. R. RUBUS fruticosus. Tab. 45. Fig. 12. R. Confer Exempla §. 51. A. *γ.*

f. *Receptaculum Seminum*:  
*intra Pericarpium*:

*α. Valvulae Capsularum*: PARNASSIA palustris. Tab. 15. Fig. 10. 11. \* ABROMA angusta. Tab. 63. Fig. 8. r. SISYRINCHIUM Bermudiana. Tab. 73. Fig. 8. \*

*β. Suturae*: LUNARIA annua. Tab. 54. Fig. 8. Siliculae futura utraque. — CHEIRANTHUS incanus. Tab. 55. Fig. 9. Siliquae futura utraque; sed vide Monitum ad Exempla §. 37. — Leguminis Sutura altera tantum: LATHYRUS latifolius. Tab. 62. Fig. 10.

*γ. Squamae Coni*: PINUS sylvestris. Tab. 82. Fig. 9. x. — *Strobili*: HUMULUS Lupulus. Tab. 88. Fig. 12. r.

*δ. Columna*: *f. Axis Capsulae, Dissepimentis divisae*: MOLLUGO verticillata. Tab. 8. Fig. 9. 11. \* OENOTHERA biennis. Tab. 25. Fig. 9. R. SARRACENIA flava. Tab. 46. Fig. 9. c.

*ε. Columna libera*; in Capsula uniloculari; *f. Receptaculum Seminum liberum* Linn. — TURNERA Ulmifolia. Tab. 14. Fig. 7. 8. \*

*ζ. Receptaculum Seminum nudorum*: vide Exempla allegata ad §. 48. d. GYMNOSPERMIA.

## §. 50.

His praemissis respectu partium singularum, (§. 49. a — f.) accedimus ad distinctionem *Receptaculi* in complexu plurium partium, applicando simul ideam

A. *Floris simplicis*, i. e. si Calyx singulus, vel Corolla singula, (aut quae harum vices gerit alia pars,) *unicam* tantum comprehendit *Fructificationem*; in comparatione cum

B. *Flore composito*, i. e. si unicus Calyx communis plures Flosculos comprehendens, *plures* gerit *Fructificationes*.

### §. 51.

Dato hocce divisionis fundamento, (§. 50. A. B.) clarius patebit sequens *LINNAEI* distinctio, quam tradit in *Philos. bot.* p. 54. Sunt eius verba:

A. *Receptaculum proprium*: quod partes unius tantum Fructificationis respicit.

α. *Receptaculum proprium Fructificationis*: pro Flore et Fructu commune.

β. *Receptaculum proprium Floris*: Basis ubi Floris partes absque Germine affiguntur.

γ. *Receptaculum proprium Fructus*: Basis pro Fructu, remota a Floris Receptaculo. (β.)

δ. *Receptaculum proprium Seminum*: Basis, qua Semina intra Pericarpium affiguntur." *l. c.* n. 27.

B. „*Receptaculum commune*: connectens Flosculos plures, ita, ut si aliqui eximantur, irregularitas causetur." *l. c.* n. 28.



## E x e m p l a :

A. *Receptaculum proprium:*

α. *Fructificationis:* Fundus Perianthii Florum Hermaphroditorum polypetalorum, in plurimis plantis.

Exempla plura allegata vid. §. 52. n. 5. β.

β. *Floris:* EUPHORBIA Lathyris. Tab. 39. Fig. 4. \*  
— Confer Exempla §. 51. n. 3. 4. — item Perianthium Florum Marium; aut alia pars eosdem sustentans, in Classe Syst. sex. XXI. MONOECIA. et XXII. DIOECIA.

γ. *Fructus:*

*Receptaculum Semina plura gerens:* MYOSURUS minimus. Tab. 17. Fig. 9. 10. R. RANUNCULUS bulbosus. Tab. 51. Fig. 9. R. Item

*Pedunculus Germen elevans:* EUPHORBIA Lathyris. Tab. 39. Fig. 5. 6. \* PASSIFLORA caerulea. Tab. 74. Fig. 6. r.

*Perianthia, aut aliae vicariae partes Florum femininorum* in Classibus XXI. MONOECIA. XXII. DIOECIA.

δ. *Seminum:*

vid. Exempla allegata §. 49. f. α — ε.

B. *Receptaculum commune:*

a. *Floris compositi:* LEONTODON Taraxacum. Tab. 66. Fig. 10. R.

b. *Floris aggregati:* DIPSACUS laciniatus. Tab. 9. Fig. 7. R. — Confer Exempla allegata §. 53. n. 1 — 5.

## §. 52.

*Receptaculi proprii* (§. 51. A.) officia vicaria, quaedam PARTES Floris, aliis praestant; Quod cum fiat diversis modis, praecipuos speciatim considerabimus, exemplis deinceps illustrandos.

1. PERIANTHIUM saepe *Germen* inclusum fovet.

Hinc facilis explicatio Termini *TOURNEFORTIO* familiaris: *Calyx abit in Fructum*, idem semper, quod *Germen inferum*, (§. 31. n. 1. a.) significans. De *Germine supero* (§. 31. n. 1. b.) autem *TOURNEFORTIUS* dicit: *Pistillum abit in Fructum*.

2. *Perianthium Florum Marium*, in Plantis quibusdam Classis Syft. sex. XXI. *MONOECIAE* et XXII. *DIOECIAE*, solis *Staminibus* pro Receptaculo est.

3. *Perianthium monophyllum* in Plantis Classis Syft. sex. XII. *ISOCANDRIAE*, interne undique cingit linea, cui *Stamina* et *Petala* adnectuntur. *Linn. Phil. bot. p. 72. §. 107.*

4. Eiusmodi *Calyces floriferos* etiam in aliis observamus. *LINN. l. c.* Hinc tales Plantae *CALYCANTHEMAE* vocantur.

5. *Perianthium* in permultis Plantis *Hermaphroditis*, *Corolla polypetala* gaudentibus, sustinet *Petala*; *Nectaria*, si adsunt; *Stamina*; inque medio *Germen*.

6. *COROLLAE monopetalae*, in plurimis plantis *Stamina* affixa sunt.

7. *Corollae malvaceae* (§. 23. n. 2.) Ungues petalorum connati Tubum gerunt pro Receptaculo *Staminum*.

8. NECTARIA LINNAEI, (§. 25.) *Corollae* saepe, tantum non semper, annexa esse solent.

9. *Nectario* aliquando *Stamina* adhaerent.

10. PISTILLUM adnata sustinet *Stamina* in Classe Syst. sex. XX. GYNANDRIA.

a. *Filamentis* medio Stylo affixis;

b. — — — cum basi Styli connexis;

c. — — — tubo infidentibus, cum pedunculo *Germenis* cohaerente, aut denique

d. *Antheris* immediate Stigmati adnatis.

11. GERMINIS *Apex*, Filamenta *Staminum libera*, s. distincta, Stylique basin ambientia, recipiens, in ASARO observatur, quod ideo a LINNAEO haud relatum est ad GYNANDRIAS.

12. Haud defunt exempla in quibus manifeste *Germen* gerit *Perianthium*, et quas hoc ambit *reliquas* partes.

Hinc merito *Germen* tale, dici potest: *Receptaculum totius Floris*.

13. Simili modo *Germen*, absente *Perianthio*, est aliquando *Corollae*, et *reliquarum* a *Corolla* inclusarum partium, *Sustentaculum*.

14. Duplex, *Receptaculi* ac simul *Tegminis*, officium, quod *Seminibus* praestant *Calyx*, itemque *Corolla*, in vicem absentis *Pericarpium*, iam supra (§. 33. n. 4.) exposuimus.

15. *Columellae*, aliarumque *Semina* sustentantium partium, qualitates et usum, explicant:

descriptions Specierum Pericarpium; (§. 34 — 43.)  
 Corollarium Sectionis de Semine; (§. 48. b. d. e.)  
 ac denique Receptaculum Seminum intra Pericar-  
 pium, (§. 49. f.  $\alpha$ .  $\beta$ .) illustrantia exempla.

## E x e m p l a

1. *Perianthio inclusum Germen*: PUNICA Granatum. Tab. 41. Fig. 3. Sectio utriusque longitudinalis. — CRATAEGUS Aria. Tab. 42. Fig. 6. \* g. — SORBUS aucuparia. Tab. 43. Fig. 6. \* — PYRUS Malus. Tab. 44. Fig. 5. g.
2. *Perianthium Stamina sola gerens*: Flores Mares quorundam Plantarum e Classibus Syst. sex. XXI. MONOECIA, et XXII. DIOECIA. e.g. HUMULUS Lupulus. Tab. 88 Fig. 1. \* MERCURIALIS perennis. Tab. 91. Fig. 1. \*
3. *Perianthium monophyllum Staminum et Petalorum in eadem linea affixorum Receptaculum*: CRATAEGUS Aria. Tab. 42. Fig. 2. 6. \* SORBUS aucuparia. Tab. 43. Fig. 6.
4. *Perianthium quale Calyx florifer dicitur*: OENOTHERA biennis. Tab. 25. Fig. 5. K. f.
5. *Perianthium (exceptis Nectariis) omnes Fructificationis partes, at*
  - a. *diversis locis singulas recipiens*: PUNICA Granatum. Tab. 41. Fig. 1. 3. CRATAEGUS Aria. Tab. 42. Fig. 2. 6. \* SORBUS aucuparia. Tab. 43. Fig. 6. \* PYRUS Malus. Tab. 44. Fig. 5. RUBUS fruticosus. Tab. 45. Fig. 2. 4. 6. 12.
  - b. *in fundo omnes*: PARNASSIA palustris. Tab. 15. Fig. 1. 2. 4. 6. CRASSULA coccinea. Tab. 16. Fig. 1. 3. 4.  
 Nectariis deficientibus: TURNERA Ulmifolia. Tab. 14. Fig. 2. 3. 4. 5. STELLARIA graminea. Tab. 34. Fig. 2. 3. 5. \*
6. *Corollae monopetalae affixa Stamina*: MONARDA fistulosa. Tab. 3. Fig. 4. f. CROCUS fativus. Tab. 6. Fig. 4. f. MELITTIS Melisophyllum. Tab. 52. Fig. 4. 5.

7. *Corollae malvaceae* Tubus *staminifer*: ALCEA rosea. Tab. 59. Fig. 3. idem *separatus*: Fig. 5. 6.
8. *Nectaria Corollae* adnexa: RANUNCULUS bulbosus. Tab. 51. Fig. 3. 4. 5. \* ANDRACHNE Telephioides. Tab. 84. Fig. 3. 4. \* N.
9. *Nectaria staminifera*: CANNA indica. Tab. 1. Fig. 1. 2. 5. N. Nectarium petaloideum *separatum*. Fig. 5. N. Anthera eidem annexa: Fig. 2. 5. a. ABROMA angusta. Tab. 63. Fig. 2. 5. \* N. a. RUSCUS aculeatus. Tab. 96. Fig. 3. 4. \* N. a.
10. *Pistillum staminiferum*: Classis Syst. sex. XX. GYNANDRIA.
- a. *Stylo medio* adnata *Staminum Filamenta*: SYLRINCHIUM Bermudiana. Tab. 73. Fig. 4. f.
- b. cum *basi Styli* connexa *Filamenta*: ORCHIS latifolia. Tab. 72. Fig. 6. \* f.
- c. cum *Pedunculo Germinis* cohaerentia: PASSIFLORA caerulea. Tab. 74. Fig. 5.
- d. *Stigmati* adnatae *Antherae*: ARISTOLOCHIA Clematidis. Tab. 75. Fig. 4. 5. \* a.
11. *Germen Filamentâ* recipiens: ASARUM canadense. Tab. 37. Fig. 4.
12. *Germen omnium Floris* partium *Receptaculum*: CANNA indica. Tab. 1. Fig. 1. 3. K. CASSYTA baccifera. Tab. 29. Fig. 1 — 6. \* SAXIFRAGA granulata. Tab. 33. Fig. 1. 4. AGRIMONIA Eupatoria. Tab. 38. Fig. 7. \*
13. *Germen Corollam* et *reliquas partes* gerens: ANETHUM Foeniculum. Tab. 13. Fig. 3. \* AMARYLLIS Belladonna. Tab. 18. Fig. 2.

## §. 53.

In *Receptaculo communi* (§. 51. B.) *Discum Perianthii communis* (§. 11. d.) *constituente* *Florum compositorum* (§. 24. n. 11. 12. 13.) *itemque* *Florum aggregatorum*, (§. 24. n. 14.) *praeter* For-

nam planam, convexam, oblongatam, conicam, etc. notamus:

an praeter Flosculos quos gerit observentur aliae subcesivae partes? Eiusmodi sunt:

1. *Paleae*. Sic appellantur a LINNAEO: „Lamellae innatae Flosculos distinguentes.” *Phil. bot. p. 54. §. 36. n. 21.* unde *Receptaculum paleaceum* nuncupatur.

2. *Pili*: ob similem formam, teneritudinem atque flexilitatem sic dicti. Hinc *Receptaculum pilosum* audit.

3. *Setae*: ob Pilis rigidiorē substantiam maioremque crassitudinem; quapropter *Receptaculum setosum* dicitur.

4. Impressiones a Seminibus factae, nunc leviores, punctorum instar; ab his *Receptaculum punctatum*: a profundioribus vero, ob similitudinem cum alveolis, s. quadris alae lusoriae, *Receptaculum alveolatum*: aut cum favis quos apes fingunt, *favosum* appellatur.

5. Si vero caret dictis subcesivis partibus (n. 1. 2. 3.) *Paleis, Pilis, Setisque, Receptaculum nudum* vocatur.

#### E x e m p l a :

1. *Receptaculum* Floris compositi *paleaceum; planum*: XERANTHEMUM annuum, Tab. 67. Fig. 13. *Paleae*: Fig. 13. 14.\* Z. — HELIANTHUS annuus. Tab. 68. Fig. 7. 8. R. *Paleae*: P.

Floris aggregati:

*columnare*: DIPSACUS laciniatus. Tab. 9. Fig. 7. R. *Paleae*: y.

2. *Receptaculum pilosum*: *CARTHAMUS tinctorius*. —
3. *Receptaculum setosum; globosum; Paleis setaceis*: *ECHINOPS Sphaerocephalus*. Tab. 70. Fig. 10. R.
4. *Receptaculum punctatum; convexum*: *LEONTODON Taraxacum*. Tab. 66. Fig. 10. R.
5. *Receptaculum nudum; convexum*: *LEONTODON Taraxacum*. Tab. 66. Fig. 10. R. — *planum*: *CALENDULA officinalis*. Tab. 69. Fig. 9. R.

## §. 54.

Subiungimus vicarios aliorum Botanicorum, quibus, loco vocis *Receptaculi LINNAEO* familiaris, utuntur, Terminos praecipuos:

1. Thalamus: *TOURNEFORT; VAILLANT; LUDWIG; GLEDITSCH*.
2. Sedes: *RAIUS*.
3. Placenta: *BOERHAAVE; HALLER*.
4. Fundus: ob situm; et ob formam aliquando
5. Columna: *VARII* alii Botanici.

## §. 55.

Exclusimus consulto e *Receptaculi speciebus*: *Spadicem, Rachin, Umbellam, Cymam* atque *Amentum*. Haec ut nobis videtur, potius referri debent ad *Modos Formasque INFLORESCENTIAE*, quibus illustrandis sequentem destinavimus ultimam huius Sectionis particulam.

Sic enim mutata dispositione, determinando iis, fluctuantibus sede incerta, locum fixum, na-

turae rei magis convenientem, credimus commode removeri posse haud levia, quae tironi nascuntur dubia, si *Umbellae*, *Amenti Spadicisque* descriptiones in *LINNAEI Generibus Plantarum* sub Calycis titulo legit; in Philosophia botanica vero inter species Receptaculi *Umbellam*, *Cynam*, atque *Spadicem* relatas esse videt.

---

## K. INFLORESCENTIA.

(§. 9. Sect. IV. K.)

---

§. 56.

**INFLORESCENTIA** „est modus, quo flores pedunculo plantae annectuntur, quem *Modum florendi* dixere antecessores.” *LINN. Philos. bot.* §. 163. XI. p. 112.

Addimus pro tirone, ad ideam **INFLORESCENTIAE**, Termini *LINNAEO* familiaris, illustrandam:

a. NEXUM FLORUM in Vegetabilibus hac voce denotari.

b. Momenta primaria tria indicamus, ad quae in considerando hocce Florum Nexu attendere oportet; scilicet: I. *Locum*; (§. 57.) II. *Modum*; (§. 58.) III. *Formas*. (§. 59.)



I. LOCUM respiciendo, differentias sequentes observamus:

1. Annectuntur Flores in plurimis Vegetabilibus, Trunco five Cauli, tunc

*Flores caulini*; occupando vel huius vel ramorum summitates,

*Flores terminales*; aut divisiones eorum,

*Flores ramei* appellantur.

2. Aliquando Radici tantummodo affiguntur, quo in casu

*Flores radicales* audiunt, vel etiam specia-  
liori nomine: *Scapi*.

#### E x e m p l a :

*Flores radicales*: CROCUS fativus. Icon *Milleri* in Opere maiore. — VIOLA martia. — BELLIS perennis. — TUSSILAGO Farfara. —

*Scapi* exempla vide §. 58. D. n. 1.

3. singulari, a praecedentibus (n. 1. 2.) valde diversa ratione: e. g.

*α.* latitantes intra Receptaculum, (uti Cl. *MILLER* appellat) carnosum in FICU.

*β.* agglutinatae paginae posteriori *Fron-  
dium*, (i. e. Foliorum cum Trunco confluentium,) in permultis Filicibus.

*γ.* absconditi in reliquis Classis CRYPTO-  
GAMIAE Ordinibus, *Muscorum* scilicet capsulis, *Algarum* capitulis, scutellis peltisque *Lichenum*, vesiculis *Fucorum*, oculo valde armato detegendi.

## E x e m p l a :

- α. Flores affixi intra sic vulgo dictum Fructum immaturum *Ficus*: *FICUS* Carica. Tab. 100. Fig. 2. H.
- β. ad paginam posteriorem *Frondis*: *POLYPODIUM* aculeatum. Tab. 101. Fig. 17. et Fig. 3. \* confer Figuras: *Tournef. Inst. rei herb. Tab. 310 — 322.*
- γ. *Capsulae Muscorum specimen*: vid. *BRYUM* caespiticium. Tab. 102. *Vesiculae Fucorum*: *FUCUS* cartilagineus. Tab. 103.  
Conf. praeter *Dillenii*, *Michelii*, *Gmelini* scripta, nuperrima scrutinia et detecta *Clariss. HEDWIGII*, delineata in *Eius: Descriptione et adumbratione microscopico-analytica Muscorum frondosorum nec non alior. vegetantium e Cl. cryptog. Linn. Lipsiae 1787. Fol. max.*

## §. 58.

II. MODUM quod attinet, duplicem deprehendimus differentiam:

A. Annaectuntur enim locis suis (§. 57. n. 1. 2. 3.) Flores

1. mediante Pedunculo, in quo casu

*Flores pedunculati* appellantur; vel

2. immediate, i. e. absque Pedunculo; tunc

*Flores sessiles* audiunt.

## E x e m p l a :

1. *Flores pedunculati*: *GERANIUM* zonale. Tab. 57. Fig. 1. 2. *ABROMA* Augusta. Tab. 63. Fig. 1. 2.
2. *Flores sessiles*: *BLITUM* virgatum. Tab. 2. Fig. 3.

B. PEDUNCULUS definitur a *LINNAEO*: „Fulcrum sustinens Fructificationem.” *Term. bot. ed. Gisek. alt. p. 72. n. 362.*

Olim promiscue usi sunt Botanici nominibus *Petioli* et *Pedunculi*; nunc vero accuratius distinguuntur, partem quae Folium sustentat appellando *Petiolum*, quae Flores aut Fructus, *Pedunculum*.

C. Generatim de *Pedunculo* (B.) notamus:

1. Si *Pedunculus* unicum solummodo sustentat florem

*uniflorus* vocatur.

2. Si nexui plurium florum inservit, pro numero eorum determinato,

*bi - tri - quadri - quinque - sex — — multiflorus* appellatur.

3. In *Pedunculo multifloro* (C. n. 2.) diviso in plures ramos, quorum maiores subdividuntur in plures minores, distingui solent:

*α. Pedunculus universalis*, sive *Pedunculus communis*;

*β. Pedunculi partiales*, huius (*α.*) rami;

*γ. Pedicelli*: sic eorum (*β.*) ultimi ramuli appellantur, singulos flores gerentes.

#### E x e m p l a :

1. *Pedunculus uniflorus*: TULIPA Gesneriana. — TROLLIUS europaeus — PARIS quadrifolia — ABROMA Augusta. Tab. 63. Fig. 1. 2. — PUNICA Granatum. PASSIFLORA caerulea. Icones vid. in *Milleri Opere* maiore.

2. *Pedunculus multiflorus*: AMARYLLIS Belladonna. AESCULUS Hippocastanum. Icones vid. in *Milleri Opere* maiore. — POLYGONUM Fagopyrum. Tab. 27. Fig. 1. ADOXA Moschatellina. Tab. 28. Fig. II.

3. *Pedunculus universalis* (*α.*) sustinens *Umbellam*, constantem e *Ramis* (*β.*) plurimis f. (uti in *Umbella* ap-

pellari solent) Radiis universalibus; inque *Pedicellis* ( $\gamma$ .) f. Radiis partialibus, singulos flores gerentibus: ANETHUM Foeniculum. Tab. 13. Fig. 1.2 *Cymæ*: constantis e plurimis *Ramis* ( $\beta$ .) in quorum *Pedicellis* ( $\gamma$ .) flores: VIBURNUM Opulus. Tab. annexa A. Fig. 11.

4. SITUS Florum, ut et Pedunculorum (B.) in caule, itemque Pedicellorum (C. n. 3.  $\gamma$ .) in *Pedunculo communi*, (C. n. 3.  $\alpha$ .) valde diversus observatur; cuius praecipuas condiciones indicant sequentes Termini:

*Pedunculi* — *Pedicelli* — *Flores* — *alterni*; *oppositi*; *secundi*, sive *unilaterales*, i. e. si unum solummodo latus occupant; *distichi*, si duobus lateribus oppositis affixi, duas formant series; *tri* — *tetra* — *penta* — *hexa* — — *polystichi*, si in tres, quatuor, quinque, sex — — plures series distinctas dispositi sunt; *axillares*, i. e. intra angulum folii, aut rami cum caule, vel Pedunculo communi; *vagi* s. *sparsi*, si determinatus quidam ordo in nexu haud observatur.

Idem significant: *Inflorescentia alterna*, *opposita*, *secunda*. etc.

5. DISTANTIAE rationem exprimunt: *Pedunculi* — *Flores vari*; *laxi*: *distantes*; *diffusi*; *remoti*; etc. contrarium: *conferti*; *densi*; *approximati*; *coarctati*; *contigui*. etc.

6. PARTITIO Pedunculorum, secundum varios gradus, in ramos minores, iisdem Terminis indicari solet, ac Trunci s. Caulis in ramos.

*Pedun-*

*Pedunculi simplices; ramosi; ramosissimi* — *dichotomi* i. e. bifariam, s. in duos semper continuata divisione.

7. NUMERUM DISTRIBUTIONIS respiciunt:

*Pedunculi* — *Flores solitarii; bini; terni; quaterni* — *plurimi*; i. e. duo, tres, quatuor, — permulti coniunctim circa unum idemque punctum fixum.

8. COPIAM Florum in tota planta, itemque relativam quandam comparationem designant:

*Pedunculi* — *Flores pauci; copiosi; copiosissimi*; etc.

9. PROPORTIO Pedunculorum consideratur, vel

a. in comparatione cum Florum dimensione; cuius varios gradus indicant:

*Pedunculi exigui*, vix notabiles; *mediocres*, i. e. longitudine flori propemodum aequales; *breves*; *longi*, i. e. flore aliquanto breviores, longioresve; *brevissimi*; *longissimi*, i. e. longitudine aliquoties, (ter, quater, pluries) flore minores, aut maiores. Simili modo quoque crassities, in comparatione cum caule, flore, aliisque partibus, propriis suis Terminis exprimitur.

b. in comparatione relativa Pedunculorum inter se:

*Pedunculi aequales; inaequales*, i. e. si omnes longitudine pares sunt, vel diversi; *fastigiati*; si Pedunculi, diversae longitudinis, ad aequalem altitudinem elevantur. (conf. *Corymbi* definitionem et exempla. §. 71.)

10. DIRECTIO Pedunculi, varias insignes caussat differentias, quibus describendis inferviunt:

*Pedunculi — Flores erecti; recti; stricti; — nutantes: cernui; reclinati; procumbentes; — inflexi; incurvi; reflexi; recurvi; etc.* respectu ad lineam fictam perpendicularem et horizontalem:

*subpatentes; patentes; patentissimi*, ad distantiam divergentem angulo acutissimo, acuto, recto.

Haec sufficiant pro scopo nostro; reliqua enim quae spectant ad Figuram, Structuram, Superficiem, etc. brevitati studentes omittimus, quia horum Termini, tum ex usu communi, tum e significatione propria in aliis partibus plantarum, hic quoque applicanda, innotescunt.

D. Sunt Pedunculo, sub certis quibusdam conditionibus Termini proprii, quibus appellatur sequentes:

I. SCAPUS dicitur: Pedunculus uni — vel multiflorus, (C. n. i. 2.) e radice, (instar trunci universalis) ortus, Flores solummodo gerens, caeterumque omnino liber a nexu cum foliis, licet haec aliquando vaginae instar inferius Scapum obvol-

vant, in quo casu, ad distinctionem a Scapo alias perfecte nudo,

*Scapus foliosus* (citra contradictionem in adiecto) appellari solet.

Definitur a *LINNAEO*: „Truncus universalis, elevans Fructificationem, nec folia.” *Philos. bot. p. 40. §. 82. C. Term. bot. ed. Gisek. alt. p. 34. n. 27.*

#### E x e m p l a :

*Scapus nudus*: NARCISSUS poeticus. — HYACINTHUS non scriptus. — STATICE Armeria. — TUSILAGO Farfara. — BELLIS perennis.

*Scapus foliosus*: CONVALLARIA maialis. — AMARYLLIS Belladonna. Icon in *Milleri Opere maiore*.

2. RACHIS vocatur: Pedunculus multiflorus universalis, (C.n. 2. 3. a.) qui sustinet Flores, in formam Spicae (§. 75.) vel Amenti, (§. 76.) collectos.

Refertur a *LINNAEO* ad *Receptaculi* species in *Term. bot. ed. Gisek. alt. p. 104. n. 599.* „Rachis Spicae, Receptaculum filiforme, flosculos longitudinaliter annectens in Spicam.”

Ab aliis *Axis* (\*) vocatur, quia per mediam longitudinem Spicae vel Amenti decurrit.

#### E x e m p l a :

a. *Rachis Amenti*: SAURURUS cernuus. Tab. 24. Fig. 2. K. \* PINUS sylvestris. Tab. 82. Fig. 2. 9. r. confer Exempla §. 77. a.

β. *Rachis Spicae*: POTAMOGETON natans. Tab. II. Fig. 8. 9. POLYGONUM Fagopyrum. Tab. 27. Fig. 1. confer Exempla §. 75. n. 1.

(\*) „*AXIS* proprie dicitur pars illa teres, circa quam rota vertitur: unde translatione facta in nonnullis fructibus et Nucamentis, pars illa teres in centro posita, circa quam aliae partes disponuntur, *Axis* vel *Columen* dici potest: Gallis *Ame*, *Noyeau*, ou *Poinçon*.” *Tournef. Inst. rei herb. p. 668.*

3. SPADIX appellatur: Pedunculus simplex, vel quandoque ramosus, sustentans flores inclusos ambiente Spatha, (§. 14.) praesertim Ordini naturali PALMARUM, et affinibus PIPERITARUM atque ORCHIDEARUM proprius.

*Receptaculi species est LINNAEO*: „*Receptaculum Palmae enatum intra Spatham in ramulos fructificantes divisum.*” *Philos. bot. p. 55. n. 31. Term. bot. ed. Gisek. alt. p. 76. n. 380.* Confer definitionem aliam: „*Spadiceus aggregatus flos est, ubi receptaculum intra spatham, pluribus flosculis communem.*” *Philos. bot. p. 77. §. 116. n. 7.*

#### E x e m p l a :

α. *Spadix simplex*: PIPER nigrum. Tab. 5. Fig. 1. S. (cuius Spatham vero LINNAEUS dicit imperfectam.) ORCHIS latifolia. Tab. 72. Fig. 1. T. ARUM maculatum. Tab. 76. Fig. 1. 2. S.

β. *Spadix ramosus*: CHAMAEROPS humilis. Tab. annexa A. Fig. 2. e. confer Hill. Figur. elem. bot. Tab. 44. Fig. 16. *Jacquin Anleit. z. Pflanzenkenntn. Tab. 7. Fig. 17.*



## §. 59.

III. FORMAE sequuntur, quas fingit *Nexus Florum*, complexu totius congeriei admodum diversas.

Figura earum, etiamsi nec certissimis limitibus circumscribi, nec definitionum legibus severis adstringi queat; sed transitu quasi unius in alteram facta, saepe mixta evadat: (\*) tamen insigne emolumentum Scientiae affert generalis illa a *LINNAEO* facta, et ab omnibus fere Botanicis approbata distinctio Formarum Inflorescentiae in sequentes, Terminis propriis insignitas:

1. *VERTICILLUS* (§. 61.)
2. *CAPITULUM* (§. 62.)
3. *UMBELLA*. (§. 63 — 67.)
4. *CFMA*. (§. 68. 69.)
5. *FASCICULUS*. (§. 70.)
6. *CORYMBUS*. (§. 71.)
7. *THYRSUS*. (§. 72.)
8. *RACEMUS*. (§. 73.)
9. *PANICULA*. (§. 74.)
10. *SPICA*. (§. 75.)
11. *AMENTUM*. (§. 76.)
12. *SPADIX*. (vid. supra §. 58. D. n. 3.)

(\*) Consulto hic repetimus definitionem *LINNAEI*, e *Philos. bot.* supra (§. 56.) allegatam, in *Term. bot.* (ed. Gisek. alt. p. 76.) aliquot verbis auctam: „*INFLORESCENTIA*, modus quo flores pedunculo plantae annectuntur, *graduali modificatione scandit.*”

## §. 60.

Ut vero Terminorum, quibus in hisce diversis *Inflorescentiae Formis* (§. 59.) exprimendis utuntur Botanici, vera innotescat tironi idea,

definitionibus Terminorum subiunximus exempla varia, praecipue vero inter plantas vulgares occurrentia, itemque Figuras indicavimus, quas exhibent Clariss. MILLERI Tabulae editionis minoris, nec non passim EIUSDEM Operis maioris Icones, plantas integras repraesentantes.

Cum vero Tabulae Mill-rianae, in tot rerum multiplici varietate nequeant ubique sufficere, ut pro voto tamen, quantum licet, huic defectui suppetias feramus, aliunde petitas quoque recensuimus figuras selectas.

## §. 61.

VERTICILLUS (§. 59. n. 1.) „fit e floribus numerosis, caulem annulatim ambientibus.” LINN. *Philos. bot.* §. 82. D. p. 41. n. 16. *Term. bot. ed. Gisek. alt. p.* 78. n. 394.

1. Si Florum, longitudine aequalium, in annuli caulem amplectentis formam congestorum series, distinguuntur spatiis interiectis, pro vario distantiae gradu, appellantur:

*Verticilli distantes; laxi, remoti; elongati.*

2. E contrario, si florum series annulares vix distantia quadam intercipiuntur:

*Verticilli conferti; densi; approximati; contigui* audiunt.

3. In quibusdam plantis, floribus verticillatis gaudentibus, cuilibet Verticillo subiacent

*Bracteae*, five Foliorum species quaedam, a reliquis plantae foliis figura, teneritudine, et colore etiam aliquando diverforum, quae ob situm floribus vicinum, dicuntur quoque *Folia floralia*. Hinc tales

*a. Verticilli bracteati*, vel etiam *involucrati* vocantur, quia floribus *Bracteae* sunt in vicem *Involucri*. Alii iis carentes,

*β. Verticilli ebracteati*, vel *nudi*.

4. Addimus: si Flores in Verticillos dispositi, pedunculis vel omnino carent, vel brevissimis affixi sunt,

*Verticilli sessiles*; si autem longioribus suffulti sunt pedunculis,

*Verticilli pedunculati* dicuntur.

#### E x e m p l a :

1. *Verticilli laxi*: MELITTIS Melissophyllum. Icon in *Milleri Opere* maiore. — LAMIUM album. *Weiß Forstbotanik* Tab. IV. Fig. 33. SALVIA — *Oeder. Elem. bot.* Tab. VI. Fig. 47. item Fig. 48. HORMI-  
NUM pyrenaicum. *Schinz prim. lin. bot.* Tab. A. n. 42. Fig. *a*. MOLUCCELLA laevis. *Hill. Fig. element. bot.* Tab. 16. Fig. 18. SIDERITIS — *Tournesf. Inst. rei herb.* Tab. 90, item TEUCRIUM *Chamaedrys.* Tab. 97. L. — Confer Figuram in *Linn. Philos. bot.* Tab. IX. Fig. 166. quae vero ideam *Verticilli*, ob flores haud expressos, obscuram tironi caussat.
2. *Verticilli conferti* s. *densi*: LAVANDULA *Stoechas.* *Tourn. I. R. H.* Tab. 95. spicam aemulantes. — TEUCRIUM *Polium.* *Tourn.* Tab. 97. G. Capitulum mentientes.
3. *Verticillos bracteatos a.* in speciebus quibusdam

*β. ebracteatos* in reliquis eiusdem generis, notas distributionis specierum in duas phalanges offert: *SIDERITIS*. — — Confer Figuras *Verticilli Saxi* (n. 1.) *sessilis* (n. 4.) *bracteati*: (n. 3:α.) *Iacquin* Anleit. z. Pflanzenk. Tab. 6. Fig. 1. *Suckow* Anfangsgr. d. theor. Bot. Tab. X. Fig. 15. *Batsch* Kenntn. u. Gesch. d. Pfl. I. Th. Tab. II. Fig. 98.

## §. 62.

**CAPITULUM** (§. 59. n. 2.) „constat floribus plurimis in globum fere congestis.” *LINN. Philos. bot. p. 41. §. 82. D. n. 10. Term. bot. ed. Gisek: alt. p. 78. n. 393.*

Addimus quasdam eius distinctiones, respectu figurae atque compagis.

1. Pro Capituli differentia, nunc globosam, nunc ea paullo planiorem, nunc longiorem figuram referentis, appellari solet:

α. *Capitulum globosum*; β. *subrotundum*; γ. *dimidiatum*, i. e. ab altera parte rotundum, ab altera planum; δ. *oblongum*.

2. *Capitulum oblongae* figurae, (n. 1. δ.) si et forma sua, et situ florum, *Spicam* (§. 75.) plus minusve aemulatur,

ε. *Capitulum spicatum* aut *subspicatum* dicitur.

3. Quod ad compagem florum plurium pauciorumve in Capitulum collectorum attinet, eius

ζ. *Flores conglobati* vocantur, si arctissime ad se invicem appressi sunt;

η. *conglomerati*, si compages eorum aliquando laxior est.

## E x e m p l a :

*Capitulum globosum* ( $\alpha$ .) *floribus conglobatis*: ( $\zeta$ ) GOMPHRAENA globosa. Schinz prim. lin. bot. Tab. A. n. 42. Fig. b. Hill. Fig. elem. bot. Tab. 15. Fig. 11.

*Capitulum subrotundum* ( $\beta$ .) *floribus conglomeratis*: ( $\nu$ .) ADOXA Moschatellina. Tab. 28. Fig. 11.

*Capitulum subspicatum*, ( $\epsilon$ .) *floribus conglomeratis*: ( $\eta$ .) ASTRAGALUS alopecuroides. Hill. Fig. elem. bot. Tab. 15. Fig. 12.

*Capitula cuiuscunque fere formae*, TRIFOLIUM offert, in speciebus suis diversis. — Confer quoque Figuras:

*Capituli subglobosi, conglomerati, sessilis*: Iacquin Anleit. z. Pflanzenk. Tab. 6. Fig. 2. — *oblongi, conglobati pedunculati*: TRIFOLIUM pratense Suckow Anfangsgr. d. theor. Bot. Tab. IX. Fig. 1. — *floribus pendulis*: Batsch Kenntn. d. Gesch. d. Pfl. I. Th. Tab. 2. Fig. 97.

4. Sunt inter *Flores aggregatos* itemque *compositos* (§. 24. n. 2. 4.) qui

*Flores capitati* dicuntur. Ne horum forma *Capitulo* globoso vel oblongo (n. 1.  $\alpha$ .  $\delta$ .) aemulatiores confundat, monemus: *Calycem*, s. *Perianthium commune* (§. 11. d.) notam esse distinctionis.

## E x e m p l a :

*Flos capitatus*, ex aggregatis:

DIPSACUS laciniatus. Tab. 9. Fig. 1. ECHINOPS Sphaerocephalus. Tab. 70. Fig. 2. — e compositis:

CENTAUREA — CARDUUS — ARCTIUM —

Confer Figuras: Tournes. Inst. rei herb. Tab. 251. A.

253. 255. 256. Oeder Elem. bot. Tab. XI. Fig. 105.

106. Iacquin Anleit. z. Pflanzenk. Tab. 7. Fig. 4. 5.

Suckow Anfangsgr. z. theor. Bot. Tab. XII. Fig. 15. 16.

## §. 63.

UMBELLA (§. 59. n. 3.) „est, ubi Pedunculi omnes ex eodem centro ambitu aequali exeunt.”

LINN. Philos. bot. p. 78. §. 118.

Haec Inflorescentiae Forma nomen obtinuit a voce *Umbellae*, denotantis umbraculum, quo feminae utuntur ad incommoda ardoris a sole, vel mardoris a pluvia arcenda. Hinc ob similitudinem cum eius structura atque forma

*Flores umbellati* dicuntur

§. 64.

Generatim de Umbella (§. 63.) notamus:

1. Si Pedunculi simplices, orti e communi puncto fixo centrali, basinque constituyente, floribus terminantur, i. e. apicibus suis immediate flores gerunt,

*Umbella simplex* vocatur.

2. Quodsi vero e pedunculorum maiorum apicibus, tanquam centris, denuo similes minores exsurgunt pedunculi flores sustentantes,

*Umbella composita* dicitur.

3. Si ad totam congeriem florum spectas, quae *Umbellae* nunc *simplicis* (n. 1.) nunc *compositae* (n. 2.) formam constituit, *Umbellae* ambitus seu peripheria fere semper orbicularis, superficies vero eiusdem plerumque plana esse solet. (Exceptiones quasdam vide infra §. 65. g. h.)

E x e m p l a :

1. *Umbella simplex*: ANDROSACE — Tab. annexa A. Fig. 10.
2. *Umbella composita*: ANETHUM Foeniculum. Tab. 13. Fig. 1. — plura vide inter Exempla §. 65. a. b. c. d.

## §. 65.

Speciatim in *Umbella composita* (§. 64. n. 2.) distinguuntur:

a. *Umbella universalis*, formata e pedunculis principalibus, five, ut quoque appellantur

α. *Pedunculis Radiisve universalibus*, his insident

b. *Umbellae partiales*, five sic dictae *Umbellulae*; quas constituunt.

β. *Pedunculi*, s. *Radii partiales*,

c. Horum Radiorum utrorumque (α. β.) copia indicari solet, in descriptione Umbellarum (a. b.) vel numeris ipsis; vel Terminis sequentibus:

*Umbella* (i. e. *universalis* a.) itemque *Umbellula* (i. e. *partialis* b.) radiis paucis; paucissimis; — pluribus; plurimis; — multiplex; itemque: triquadri - quinque - sex - etc. — multipartita.

d. Si basis *Umbellae universalis* (a.) vel *partialis* (b.) vel utrarumque (a. b.)

Foliolis quibusdam cingitur, quae a LINNAEO inter species *Calycis* relatae, nominibus *Involucris universalis*, et *partialis* (§. 12.) distinguuntur,

γ. *Umbella* vel *Umbellula involucreta*; his vero deficientibus,

δ. *nuda* dicitur.

*Involucrorum* variae qualitates iisdem Terminis describuntur, ac *Foliorum*; cum quibus omnino conveniunt.

## E x e m p l a :

- a. *Umbella universalis*, s. *Umbella* (propria sic dicta) *multiplex*; Radiis *universalibus* circiter viginti: (c.) ANETHUM Foeniculum. Tab. 13. Fig. 1. K.
- b. *Umbella partialis*, s. *Umbellula multiplex*; Radiis *partialibus* circiter sedecim: (c.) ANETHUM Foeniculum. Tab. 13. Fig. 2. K.
- d. *Umbella simplex* (§. 64. n. 1.) *involucrata*: (d. 2.) Hill. Fig. elem. bot. Tab. 43. Fig. 11. *Jacquin* Anleit. z. Pflanzenk. Tab. 6. Fig. 8.

*Umbella composita* (§. 64. n. 2.) *multiplex*; (c.) *involucrata*; (d. 2.) cum *Involucris*, *universali* et *partialibus*: *Oeder* Elem. bot. Tab. VI. Fig. 57. *Schinz* prim. lin. bot. Tab. A. Fig. 6. Hill. Fig. elem. bot. Tab. 44. Fig. 13. *Jacquin* Anleit. z. Pflanzenk. Tab. 6. Fig. 9. *Batsch* Kenntn. u. Gesch. d. Pfl. I. Th. Tab. II. Fig. 94. *Suckow* Anfangsgr. d. theor. Bot. Tab. IX. Fig. 5.

*Umbella composita*; (§. 64. n. 2.) *multiplex*; (c.) *nuda*; (d. 2.) *Involucris* utrisque carens: *Tournef.* I. R. H. Tab. 158. *Oeder* Elem. bot. Tab. VI. Fig. 56. Hill. Fig. elem. bot. Tab. 44. Fig. 12.

Addimus explicationem Terminorum indicantium speciales quasdam *Umbellarum* conditiones:

e. *Umbella erecta*; *nutans*; secundum directionem pedunculi *Umbellam* sustinentis.

f. *Umbella patens*; *clausa*: pro laxiore aut artiore compage, s. distantia pedunculorum s. Radiorum inter se.

g. *Umbella concava*, si ob pedunculós s. Radios medios breviores, in superficiei centro depresso est.



h. *Umbella convexa*, si ob pedunculos f. Radios medios longiores, in superficiei centro plus elevatur. His (g. h.) opponitur

i. *Umbella plana*, vel *fastigiata*, si pedunculi f. Radii omnes, ad aequalem altitudinem elevantur.

k. *Umbella prolifera*: si Pedunculus a latere gerens *Umbellam simplicem* (§. 64. n. I.) unam alteramve, dein ulterius prolongatus, definit *Umbella* simili apicem terminante.

Hancce ab exemplis in quibus occurrit petitam, ac rei ipsae magis congruam descriptionem, praetulimus obscuriori atque ambiguae definitioni Linnaeanae sequenti:

„*Umbella prolifera*, Umbella plus quam composita.” *Term. bot. ed. Gisek alt. p. 104. n. 597. conf. LINN. Philos. bot. p. 82. §. 124. b.* loquens ibi de proliferatione a latere; sequentia habet: „*Umbellati* dum prolificantur, augent Umbellulam, ut ex Umbellula simplici altera exeat.” — „*Supradecomposita Umbella* fit similiter ex composita.”

#### E x e m p l a :

k. *Umbella prolifera*; *α. naturalis*: ASCLEPIAS Vincetoxicum — decumbens — lactifera — rubra — (*Linn. Sp. Plant. p. 313. 314.*)

*β. prolifera monstrosa*: CORNUS suecica; varietas luxurians. (vid. *Linn. Flor. lappon. p. 40. cum Synonymo Kyllingii: Pexiclymenum humile flore flori in-nato.*)

*γ. supradecomposita*: SELINUM palustre. varietas monstrosa, in qua vidit LINNAEUS Radios laterales Umbellae universalis omnes duplo longiores soli-

to, nec Umbellulas, sed Umbellas compositas ferentes. (*Linm. Flor. lappon. p. 66. n. 100. β.*)

Superfunt quidam *LINNAEO* familiares Termini, quibus Umbellarum speciales condiciones describuntur; hosce vero consulto hic omisso, reperies in Corollario monitorum. (§. 78. et 81.)

### §. 66.

His praemissis (§. 63 — 65.) clarius patebunt Terminorum sequentium definitiones a *LINNAEO* traditae :

a. „*Umbella simplex*” (§. 64. n. 1.) „quae non subdividitur.”

b. „*Umbella composita*, (§. 64. n. 2.) cuius omnes pedunculi apice Umbellulas gerunt.”

c. „*Umbella universalis*, quae alias Umbellulas apicibus gignit.”

d. „*Umbella partialis* (§. 65. b.) quae prodiit ex universali.” *Phil. bot. p. 54. §. 86. VII. n. 29.*

### §. 67.

At vero praeter istas (§. 66. a — d.) aliae adhuc in scriptis LINNAEI occurrunt et definitiones et distinctiones Umbellae, quarum idea intellectu difficilior, quin omnino obscura erit tironi; hinc ad exinde nata dubia, quantum fieri potest resolvenda, sequentia monemus :

I. *LINNAEUS* Pedunculorum Umbellae (§. 65. a. a. b. β.) punctum fixum centrale, tanquam speciem

Receptaculi communis considerando, definit Umbellam:

„Receptaculum ex centro eodem, elongatum in pedunculos filiformes proportionatos.” *Philos. bot. p. 54. §. 86. VII. n. 29.*

*Umbellatus flos* habet Receptaculum divisum in pedunculos omnibus eodem centro exeuntibus.” *Phil. bot. p. 76. §. 116. n. 1.*

2. Porro *Florem umbellatum LINNAEUS* associavit

*Flori aggregato, (\*)* cuius speciem constituit, ob Receptaculum commune, pariter ac *Flos cymosus, glumosus, spadiceus*. Hinc sequentes *Eius* sunt definitiones; in *Phil. bot. p. 78. §. 118.*

„*Umbellatus flos* est aggregatus ex flosculis pluribus, infidentibus receptaculo in pedunculos fastigiatos, omnes ex eodem puncto productos.” —

„*Umbella* est, ubi pedunculi omnes ex eodem centro ambitu aequali exeunt.”

„*Simplex Umbella*, ubi receptaculum sic semel dividitur in pedunculos.” —

„*Composita Umbella*, ubi omnes pedunculi communes subdividuntur in Umbellulas.”

„*Umbellula* itaque partialis Umbella est.”

(\*) Addimus hic *Aggregati floris* definitiones sequentes *LINNAEI*, excerptas e *Philos. botan. p. 76. §. 116.*

„AGGREGATUS Flos, cum flosculis pluribus aliqua pars fructificationis communis est; diciturque *Aggregatus* proprie, vel *Compositus* vel *Umbellatus*, vel *Cymosus*.”

et deinde addit:

„*Aggregatus* fit flos, cum plures flosculi, mediante aliqua parte fructificationis omnibus communi, ita uniuntur, ut alter flosculus demtus, destruat formam totius, cuius pars est.”

3. Cum ista autem relatione ad species *Receptaculi* (n. 1. 2.) minime consentit, praefixus descriptioni Umbellae titulus

*Calycis*, in LINNAEI Characteribus genericis plantarum quae proprie *UMBELLATAE* dicuntur: id quod eo magis mirum videtur, cum in aliarum plantarum Characteribus genericis semper usus fuerit titulo *Receptaculi*, ad describendas notas huic sic dicto Fructificationis parti proprias.

At vero cum *Involucrum* Eidem fit species *Calycis* (§. 12.) huiusque descriptio absque mentione Umbellae, nimis manca videatur; sub eodem titulo (a) utriusque praecipuas qualitates reliquis praemittit, utpote ad Characteris generici intellectum summe necessarias.

(a) *UMBELLAM* sub titulo *Calycis* a LINNAEO descriptam, itemque eodem titulo *Involucri* (hic vero deficientis) mentionem factam, reperies in Characterere generico ANETHI Foeniculi, Tab. 13. Confer quoque Characterem genericum Linnaeanum CAUCALIDIS, exscriptum in nota ad §. 81. n. 9.

Sic quoque descriptioni

4. *Amer-*

4. *Amenti*, (§. 76. 77. D. n. 1.) *LINNAEUS* titulum *Calycis* (§. 13.) praefixit. (b)

(b) *AMENTI* descriptioni a *LINNAEO* praefixum *Calycis* titulum, vid. in *Characteribus Plantarum fequentium*, instar exempli: *SAURURUS cernuus*. Tab. 24. *IUGLANS regia*. Tab. 81. *SALIX fusca*. Tab. 85. *POPULUS nigra*. Tab. 90. *IUNIPERUS communis*. Tab. 96.

5. Cur autem *LINNAEUS* notas, manifeste ab *INFLORESCENTIA* (§. 56.) petitas, Calyci in aliis (praesertim cum termino *Calycis communis*), in aliis *Corollae*, (*Corollae universalis* praecipue termino,) associaverit? haud obscura videbitur ratio consideranti:

*LINNAEUM* in definiendis *Characteribus genericis plantarum permultarum*, praesertim *UMBELLATARUM, AMENTACEARUM, GRAMINUM* — haud omnino carere potuisse notis ab *Inflorescentia* petendis, non obstante quod easdem prorsus exulare e *Generum Characteribus* alias iusserit; (\*) necessitate itaque coactum fuisse, tales vel *Calyci*, (†) vel *Corollae*, (††) licet haec nomina, respectu ad definitiones, primitivae significationis normam constituentes, (§. 10. 18.) saepe minime cum rebus congruant, annectere.

(\*) *Inflorescentia* notam characteristicam non dabit.” *Linn. Philos. bot. p. 131. §. 194.*

(†) *Exempla quaedam notarum ab INFLORESCENTIA petitarum, quas inseruit LINNAEUS sub titulo CALYCIS, Characteribus genericis, addita distinctione:*

α. *Calycis communis*:

DIPSACUS laciniatus. Tab. 9. „CAL. *Perianthium commune* multiflorum, polyphyllum; foliolis flosculo longioribus, laxis, persistentibus.” — reliquas comprehendit titulus *COROLLAE*. conf. *Linn. Gen. n. 114.*

ECHINOPS Sphaerocephalus. Tab. 70. „CAL. *communis* polyphyllus; squamis subulatis, reflexis totaliter, multos flores continens.” — conf. *Linn. Gen. n. 999.*

FICUS Carica. Tab. 100. „CAL. *communis*, obovatus, maximus, carnosus, concavus, clausus squamis plurimis semilanceolatis, acutis, ferratis, inflexis. Huius interna superficies undique tecta est flosculis, quorum exteriores, seu margini calycis propiores *Masculi* sunt pauciores; reliqui inferiores *Feminei* numerosi.” — conf. *Linn. Gen. n. 1168.*

β. *Glumæ*; quæ inter species *Calycis* a LINNÆO numerantur:

AVENÀ fatua. Tab. 7. „CAL. *Glumæ* saepius multiflora, bivalvis flores laxè colligens:” etc. — *Linn. Gen. n. 91.*

TRIPSACUM dactyloides. Tab. 78. „*Masculi*: CAL. *Glumæ* utrinque biflora, bivalvis:” — *Linn. Gen. n. 1044.*

γ. *Amentii*; quod ob *Squamas* ad species *Calycis* retulit; *Rachin* eius *Receptaculi* speciebus associavit. (vid. §. 76. 77.) SAURURUS cernuus. Tab. 24. vid. reliqua exempla, in nota sub n. 4. b. allegata, eorumque descriptiones, quas vero hic verbis excerptis repetere hæud necessarium erit, cum e præcedentibus (α. β.) momenta ad quæ attendere oportet, satis patent.

δ. *Spadicis*; relati a LINNÆO ad *Receptaculi* species. vid. Exempla:

PIPER nigrum. Tab. 5. ORCHIS latifolia. Tab. 72. ARUM maculatum. Tab. 76.

ε. *Umbellæ*; de hac confer exempla superius in nota (a) ad n. 3. allegata.

(++) *COROLLAE* insertae notae ab *INFLORESCENTIA* petitae; praefertim sub *Termino*:

2. *Corollae universalis*; cuius significationem explicatam *vid.* §. 78. n. 4. c. §. 81. n. 5 — 9. quae sufficiet ad intellectum exemplorum a *Plantis*; quarum nomina solummodo et *Iconum Tabulas* hic recensemus.

*DIPSACUS* laciniatus. Tab. 9. *LEONTODON* Taraxacum. Tab. 66. *XERANTHEMUM* annuum. Tab. 67. *HELIANTHUS* annuus. Tab. 68. *CALENDULA* officinalis. Tab. 69. *PARTHENIUM* integrifolium. Tab. 80.

### §. 68.

*CYMA*, (§. 59. n. 4.) Flores cymosi, constituunt *Inflorescentiae* formam, congerie florum, habituque externo (§. 64. n. 3.) valde affinem *Umbellae compositae*. (§. 64. n. 2.) Constat nempe *Cyma* a simili modo

*Pedunculis* universalibus, ortis e communi puncto fixo centrali, basinque constituyente; differt autem

vaga sive indeterminata aut irregulari *pedunculorum* ulteriore divisione in *Pedicellos* fastigiatos, uti *LINNAEUS* eosdem appellat, i. e. tales, qui licet inter se differant longitudine varia, tamen altitudine aequali terminantur.

1. Olim dicta est *Umbella impropria* vel *spuria*.

2. Pro numero *Pedunculorum* universalium vocatur: *Cyma tri* — *quadri* — *quinquepartita*. etc.

#### E x e m p l a :

*Cyma*; Flores cymosi: *VIBURNUM* — Tab. annexa  
A. Fig. 11. *SORBUS* aucuparia. Icon in *Milleri*

Opere maiore. — SAMBUCUS nigra. *Weiß* Forstböt. Tab. IV. Fig. 34. VIBURNUM Opulus. *Suckow* Anfangsgr. z. theor. Bot. Tab. IX. Fig. 4. — Confer quoque Figuras: *Oeder* Elem. bot. Tab. VII Fig. 58. *Iacquin* Anleit. z. Pflanzenk. Tab. 6. Fig. 10. *Batsch* Kenntn. u. Gesch. d. Pfl. Tab. II. Fig. 95.

## §. 69.

Cymae five Florum cymosorum (§. 68.) subiungimus sequentes *LINNAEI* definitiones, quarum ideam illustrabunt monita nostra §. 67. n. 1. 2.

„*Cyma* receptaculum ex centro eodem universali, partialibus vero vagis, elongatum in pedunculos fastigiatos.” *Phil. bot. p. 55. §. 86. VII. n. 30. Term. bot. ed. Gisek. alt. p. 76. n. 381.*

„*Cymosus flos* habet receptaculum divisum in pedunculos, ex eodem centro universali enatos, pedicellis vero vage prodeuntibus.” *Phil. bot. p. 76. §. 116. n. 2.*

„*Cyma flos* est aggregatus, ex flosculis pluribus insidentibus receptaculo in pedunculos fastigiatos, primores ex eodem puncto productos, posteriores autem sparsos.” *Phil. bot. p. 78. §. 118.*

„*Cyma*, uti *Umbella* omnes pedunculos primarios ex eodem centro educit, partiales vero vagos spargit.” *l. c. p. 79.*

## §. 70.

FASCICULUS (§. 59. n. 5.) Flores fasciculati dicuntur:



Si flores plures, orti quam proxime circa commune quoddam punctum fixum, erecti, directione parallela, ad aequalem altitudinem elevantur, atque deinceps corollis explicatis, planam, prope modum continuam superficiem formant.

*LINNAEI* definitio est: „Fasciculus colligit flores erectos, parallelos, fastigiatos, approximatos.” *Phil. bot. p. 41. §. 82. D. n. 9. Term. bot. ed. Gisek. alt. p. 76. n. 392.* (iisdem verbis, in fine autem: fastigiato - approximatos.)

#### E x e m p l a

*Fasciculus: Flores fasciculati: DIANTHUS* barbatus; — Carthusianorum. — *Weiß* Forstbotan. Tab. IV. Fig. 35. *Oeder* Elem. bot. Tab. VIII. Fig. 59. — Confer Figuras: *Jacquin* Anleit. z. Pflanzenk. Tab. 6. Fig. 7. *Schinz* prim. lin. bot. Tab. A. n. 42. Fig. c. *Suckow* Anfangsgr. d. theor. Bot. Tab. IX. Fig. 3. *Batsch* Kenntn. u. Gesch. d. Pfl. Tab. II. Fig. 3.

#### §. 71.

CORYMBUS, (§. 59. n. 6.) Flores corymbosi appellantur:

Si e Pedunculi universalis (§. 58. C. n. 3. a.) pluribus punctis exorti florum Pedicelli (§. 58. C. n. 3. γ.) instar ramorum, ad aequalem altitudinem, directione anguli acuti, elevantur, formando superficiem planam, congerie florum in summitate Corymbi.

1. Addimus eius distinctionem in *simplicem* et *compositum*.

*α. Corymbus simplex* dicitur, si Pedunculi communis rami simplices sunt, ac immediate floribus terminantur.

*β. Corymbus compositus* vero, si quilibet fere ramus Pedunculi communis, divisus est in plures ramulos, tanquam Pedicellos pro singulis floribus.

2. LINNAEUS sequentem tradit comparativam Corymbi cum Spica (§. 75.) definitionem:

„*Corymbus* fit ex Spica, dum singuli flores petiolis (pedunculis) propriis instruuntur, situ elevato proportionali.” *Philos. bot. p. 41. §. 82. D. n. 12. Term. bot. edit. Gisek. alt. p. 76. n. 388.*

#### E x e m p l a :

- α. Corymbus simplex*: THLASPI arvense. — Burfa pastoris. — *Jacquin* Anleit. z. Pflanzenk. Tab. 6. Fig. 5. 6. LEDUM palustre. *Schinz* prim. lin. bot. Tab. A. n. 42. Fig. f. — conf. *Linn.* Phil. bot. Tab. IX. Fig. 163. *Suckow* Anfangsgr. d. theor. Bot. Tab. X. Fig. 16.
- β. Corymbus compositus*: ACHILLEA Millefolium. *Weiß* Forstbot. Tab. IV. Fig. 36. TANACETUM vulgare. *Oeder* Elem. bot. Tab. VII. Fig. 60. — confer *Batsch* Kenntn. u. Gesch. d. Pfl. Tab. II. Fig. 93.

#### §. 72.

THYRSUS, (§. 59. n. 7.!) constat florum pedicellis brevibus infidentium congerie, circa Pedunculum universalem, simplicem plerumque, aliquando inferne ramosum, quem undique ambiunt, dispositorum gradatim in formiam pyramidalem plerumque, aut ovatam.

*LINNAEI* definitio est comparativa: „Thyr-  
sus, Panicula (§. 74.) est coarctata in formam  
ovatam.” *Philos. bot. p. 41. §. 86. D. n. 14.*

## E x e m p l a :

*Thyrsus; Flores thyrsoides: AESCULUS* Hippocastanum. Icon in *Milleri Opere* maiore. *TUSSILAGO* Perasites. *Hill. Fig. elem. bot. Tab. 16. Fig. 20. SYRINGA* persica, laciniata. *Schinz. prim. lin. bot. Tab. A. n. 42. Fig. g. Suckow Anfangsgr. d. theor. Bot. Tab. X. Fig. 19. — confer: Iacquin Anleit. z. Pflanzenk. Tab. 6. Fig. 12.*

## §. 73.

RACEMUS, (§. 59. n. 8.) Flores racemosi vocantur:

Si Pedunculi universalis laterales rami, vel Pedicelli breves, flores ut plurimum pendulos gerunt,

1. Definitur a *LINNAEO*: „Racemus pedunculo ramis lateralibus brevibus constat.” *Phil. bot. p. 41. §. 86. D. n. 15.*

2. Addimus; distinctiones eius, respectu compositionis, in *simplicem* et *compositum*.

*α. Racemus simplex* vocatur, si Pedunculo communi indiviso, Pedicelli laterales immediate affiguntur,

*β. Racemus compositus*: si Pedunculus communis inferne in plures ramos dividitur, e quibus Pedicelli egrediuntur.

3. Situm ac directionem ramorum, Pedicellorum, Florumque Terminos:

*Racemus unilateralis*, si Pedicelli e Pedunculi communis latere unico egrediuntur, *secundus*, si, exortu licet diverso, versus unum idemque latus directi sunt; *dependens*; *laxus*; *strictus*; *erectus*. etc.

E x e m p l a :

- a. Racemus simplex*: PHYTOLACCA decandra. Icon in *Milleri* Opere maiore. RIBES rubrum. *Schinz.* prim. lin. bot. Tab. A. n. 42. Fig. h. ARBUTUS Uva urfi. *Hill.* Fig. elem. bot. Tab. 16. Fig. 21. ACER Pseudo Platanus. *Weiß* Forstbot. Tab. IV. Fig. 38. — Confer Figuras: *Linn.* Phil. bot. Tab. IX. Fig. 164. *Oeder* Elem. bot. Tab. VII. Fig. 61. *Batsch* Kenntn. n. Gesch. d. Pfl. Tab. II. Fig. 92. *Iacquin* Anleit. z. Pflanzenk. Tab. 6. Fig. 4. *Suckow* Anfangsgr. d. theor. Bot. Tab. IX. Fig. 6. (ACER striatum.)
- β. Racemus compositus*: KALMIA angustifolia. FRAXINUS Ornus. Icones in *Milleri* Opere maiore. Confer Figuras: *Tournef.* Inst. rei herb. Tab. 343. — VITIS vinifera. — *Tourn.* I. R. H. Tab. 465. — CHENOPODIUM viride; murale; Botrys. — SAMBUCUS racemosa. —

§. 74.

PANICULA, (§. 59. n. 9.) Flores paniculati formantur:

a. Pedunculo universali (§. 58. C. n. 3. *a.*) gradatim, i. e. interiecta semper quadam distantia, emittente situ determinato aut vago, plures ramos, (§. 58. C. n. 3. *β.*) nunc simplices, nunc varie iterum iterumve subdivisos in minores ramulos f. Pedicellos (§. 58. C. n. 3. *γ.*) quibus vel singuli

flores adhaerent, vel plures, coacervati sub forma *Spicularum*. (§. 75. n. 2. C.) Caeterum notamus adhuc:

1. Flores longe pedunculatos, i. e. qui aliquoties longitudine a pedunculis superantur.

2. Formam esse inter *GRAMINA* praecipue frequentem.

3. Definitionis *Linnaeanae* verba sunt: „Panicula, Fructificatio sparsa in pedunculis diverse subdivisis.” *Philos. bot. p. 41. §. 82. D. n. 13.* itemque: „Flores sparsi in pedunculis diverso divisus.” *Term. bot. ed. Gisek. alt. p. 76. n. 390.*

4. Paniculae speciales differentiae praecipuae, pro vario situ, directione, partitione, proportionem, distantia ramorum Pedunculi communis, ac Pedicellorum, itemque pro numero distributionis florum, etc. indicantur Terminis consuetis, (maximam partem superius §. 58. C. n. 4 — 10. explicatis,) hinc sufficiet horum aliquos tantummodo recensere:

α. *Panicula patens*; β. *diffusa*; γ. *divaricata*; δ. *coarctata*; ε. *contracta*; ζ. *conglomerata*; ζ. *secunda*. etc.

#### Exempla:

*Panicula α. patens*: *NERIUM Oleander*. Icon in *Milleri Opere* maiore. *ASPERULA odorata*. *Weiß Forstbot. Tab. IV. Fig. 30* *POA aquatica*. *Schinz prim. lin. bot. Tab. A. n. 42. Fig. e.* — Conferantur *Figurae: Hill. Fig. elem. bot. Tab. II. Fig. 7. Jacquin.*

Anleit. z. Pflanzenk. Tab. 6. Fig. 11. *Linn.* Phil. bot. Tab. IX. Fig. 167.

β. *diffusa*: BRIZA media — minor. *Oeder* Elem. bot. Tab. VII. Fig. 62. Conf. *Figuras*; *Hill.* Fig. elem. bot. Tab. 15. Fig. 13. *Batsch* Kenntn. u. Gesch. d. Pflanz. Tab. II. Fig. 99.

γ. *divaricata*: AVENA fatua. Icon in *Milleri* Opere maiore. — A. fativa. *Weiß* Forstbot. Tab. IV. Fig. 40. Conf. *Suckow* Anfangsgr. z. theor. Bot. Tab. IX. Fig. 11.

δ. *coarctata*: FESTUCA ovina; fluitans. —

ε. *glomerata*; *secunda*: (ζ.) DACTYLIS glomerata. *Schreber* Beschreib. d. Gräser. Tab. 8. Fig. 2.

ζ. *secunda*: *Batsch* Kenntn. u. Gesch. d. Pflanz. Tab. II. Fig. 100.

### §. 75.

SPICA, (§. 59. n. 10.) Flores spicati dicuntur:

Si Pedunculum communem gradatim ambiunt Flores sessiles, aut brevissime pedunculati. Ad illustrationem Terminorum praecipuorum addimus:

1. Pedunculus iste communis, (§. 58. C. n. 3. α.) in GRAMINIBUS praesertim, inter quae admodum frequens est haec forma Inflorescentiae, *geniculatus*, sive articulatis quasi internodiis distinctus, ab impressis vestigiis florum eidem affixorum, similitudinem quandam refert cum articulationibus vertebrarum spinae dorsi in animalium sceletio: quamobrem

*Rachis* a LINNAEO appellatur: Ab aliis vero *Axis*, quia per mediam longitudinem Spicae decurrit. (Conf. §. 58. D. n. 2.)

## E x e m p l a :

*Rachis Spicae*: vid. Figuras: *Tournef.* Inst. rei herb. Tab. 292. I. K. (L. Flores eidem affixi.) Tab. 293. V. Tab. 294. N. Tab. 295. N. M.

2. Respectu ad Spicae compositionem distinguendae sunt:

a. *Spica simplex*: constans congerie florum singulorum circa Rachin (n. I.)

3. *CHARACTER GENERIS*, five *genericus*, notas comprehendit pro eius diagnosi; definiendo praecipue qualitates, quibus Species (§. 84.) associatae GENERI (§. 85.) conveniunt.

Addimus *LINNAEI* distinctionem, *Philos. botan. p.* 128. §. 186. cuius verba sunt:

„CHARACTER est Definitio Generis; isque triplex datur: *Factitius, Essentialis, Naturalis*.”

4. *CHARACTER GENERIS factitius* (a.) uti a *LINNAEO* dicitur, quem *systematicum* appellare posses, tradit

unam alteramve accomodatam Systematis (§. 83.) electi legibus notam, petitam e selectis quibusdam partibus Fructificationis, (§. 7.) qua Genus (§. 85.) a reliquis in eundem Ordinem (§. 88.) dispositis, differt.

(a) *FACTITIUS* Character, Genus ab aliis Generibus eiusdem tantum Ordinis artificialis, distinguit.

„*FACTITIUS* Character distinguit Genera extra Ordinem naturalem, five pauciores, five plures notas characteristicas assumit.”

„*Diagnofis* Characteris Naturalis (f. potius a Characterere generis naturali vid. n. 7.) est haec: quod numquam valeat in ordine naturali genera distinguere; Characteres itaque, five essentialis five naturales, quae nequeunt genera in ordine naturali fufficienter distinguere, factitii dicendi funt.” LINN. *Philof. bot.* pag. 129. §. 118.

Addimus quaedam adhuc. e *Præfatione ad Genera Plantar.* ed. VI. p. X. n. 16.

„*Factitius* Character unicam notam generi imponit, qua unum a reliquis, sub eodem Ordine militantibus (non ab aliis) distinguere tenetur. Character eiusmodi est intellectu omnium facillimus, & instituitur per Dichotomias seu Tabulas Synopticas, uti a RAIÖ (in præcedentibus Synopsis editionibus) KNAUTIO, KRAMERO datus. Sane si nulla unquam dubia moverentur de Classe vel Ordine, & omnia in rerum natura existentia Genera detecta essent, reliquis facillior foret; quae cum detecta non sint, nec esse possint, fallit & fallitur; cum aliòquin Genus aliquod detegitur novum, fallaces evadunt proximi & quotquot e ramo cui annecti debet, enati sunt Characteres.”

Tales funt, Schematis instar Classi cuique Systematis sexualis Linnaeani, præfixi Characteres succincti, in *Systemate Vegetabilium*.

5. *CHARACTER GENERIS essentialis* ad mentem LINNAEI (b.) respiciendo ad Familias naturales plantarum

notam singularem, ex una alterave partium Fructificationis selectam, (interdum aliquarum in complexu) indicat, qua differt Genus a reliquis affinis, in Familia five Ordine naturali (§. 99. §. 102.) coniunctis.

(b) „*ESSENTIALIS* Character notam Generi cui applicatur, propriissimam & singularem subministrat.”

„*ESSENTIALIS* Character unica idea distinguit Genus a con-

a congeneribus sub eodem ordine naturali." LINN. *Philos. bot.* p. 128. §. 187.

Exempla ibidem citantur fequentium Generum e *Systematis Naturae editione VI.* (Holmiae 1748. 8. c. tab. aeneis. recuf. 1753. 8.)

Nyctanthes, Circaea, Gratiola, Salvia; Olax; Iris, Melica; Leucadendron.

Plantago, Epimedium; Hydrophyllum, Mirabilis, Hyofcyamus, Phyfalis.

Stapelia, Ceropogia, Aethufa, Parnaffia, Statice.

Galanthus, Narciffus, Pancratium, Afphodelus, Aloe, Haemanthus.

Tropaeolum; Laurus; Anacardium, Dictamnus, Zygo-phyllum.

Melia, Dianthus, Phytolacca; Bixa; Refeda, Delphinium.

Aconitum, Nigella, Liriodendrum, Uvularia, Ranunculus, Helleborus.

Hyffopus, Prnella, Scutellaria, Euphrasia, Torenia, Lathraea, Craniolaria.

Halleria, Acanthus; Crambe, Alyffum: Hermania Pentapedes.

Hibifcus; Polygala, Amorpha, Dalea, Pforalea; Theobroma;

Echinops, Inula, Centaurea, Corymbium, Iaffione, Impatiens;

Sifyrinchium, Paffiflora, Aristolochia, Helicteres, Arum, Zoffera;

Zizania, Liquidambar, Clutia." LINN. *l. c.*

Addit in *Praefatione ad Genera Plantar. edit. VI.* p. X. n. 17. „Hic commendat fe breuitate & certitudine, uti in Parnaffia, Nigella, Helleboro, Ranunculo, Aconito, a folis Nectariis facillime percipitur. Sed an obtineri unquam queat in omnibus Generibus, maxime haereo; vellem enim effentiales videre Characteres in Umbelliferis aliisque.”

## 6. CHARACTER GENERIS *naturalis*

a LINNAEO (c.) appellatur:

Descriptio notarum omnium in complexu, quas Speciebus omnibus ac fingulis communes effe obferuamus.

(c) „NATURALIS Character notas omnes genericas possibiles allegat; adeoque Essentialem & Factitium (n. 5. b. n. 4. a.) includit.

Possibiles omnes notas adducit Character naturalis, exceptis tamen iis, quas structura naturalissima subministrat.” (Structura partium Fructificationis nempe, qualis in plurimis observatur, respectu ad Numerum, Figuram, Proportionem, Situm. *Vid. Philos. bot. pag. 59. §. 93 — 97.*)

„Ego (inquit LINNAEUS) primus hos Characteres composui.”

„Includit in se omnes Characteres possibiles; infervit omni Systemati; basin sternit novis Systematibus; immutatus persistit, licet infinita nova Genera detegerentur.”

„Corrigitur novis detectis speciebus tantummodo, exclusione scilicet notarum superfluarum.” *LINN. Ph. bot. p. 129. §. 189.*

His addimus adhuc sequentia verba LINNAEI, e *Praefatione ad Genera Plantar. ed. VI. p. XI. n. 18.* excerpta.

„Naturales itaque heic trado Characteres, qui notas facile omnes in fructificatione obvias et communes exhibent: tales ante me quantum novi, dedit nullus.

Usus et praerogativae Characteris Naturalis sunt :

α. Applicabilis est eiusmodi Character Methodis omnibus datis et dandis, si modo indestructibili fundamento Fructificationis superstructum sit Systema. Desumat quis Methodum vel a *calyce*, vel *corolla*, vel *staminibus*, vel *pistillis*, vel *fructu*: idem tamen erit nobis Character naturalis, ubi idem genus.

Antea necesse fuit tot componere Characteres omnium generum, quot prodire Systemata; hocce autem dato, non item.

β. Si vel mille detegerentur nova Genera, non unicam Notam eam ob causam Generi Naturali proximo vel addere vel auferre necesse est, uti in aliis omnibus inevitabile fuit.

γ. Distincte potest tradi absque methodo hic Character seu Generis haec definitio, in quocunque libro placeret, aequae perfecte teneri et intelligi, ac dum sub sua militabat classe.

δ. Exprimit eandem ideam, si vel nomina millies mutarentur.

2. Plures vides notas, quam quibus necessario ab aliis distingui debet subiectum Genus: hae confirmant Te certum habere Genus, nec aliud. An notae aliquae superfluae sint, si omnia detecta essent Genera, ferus determinabit dies."

Eiusmodi Characteres sunt: excerpti a *MILLERO* ad explicationem Tabularum Iconum suarum, si excipias quaedam qualitates plantae speciatim proprias, atque Icone expressas, quam selegit ad illustrationem Classis et Ordinis.

7. De modo eruendi Characteres, vid. *LINN. Philos. bot. Cap. VI. CHARACTERES. p. 97. §. 151 — 209.*

### §. 87.

De *NOMENCLATURA botanica*, pauca quaedam, at praecipua momenta breviter explicabimus; de reliquis enim amplae huius materiae notionibus atque praeceptis, legenda sunt *Capita: VII — XI. Philosoph. botan. LINNAEI.*

1. Datur a Botanicis Generi (§. 85.) per Characterem (§. 86. n. 1. 3.) vel factitium, (§. 86. n. 4.) vel essentialem, (§. 86. n. 5.) vel naturalem, (§. 86. n. 6.) rite determinato atque definito, Nomen quoddam, quo distinguatur ab aliis. Hoc appellatur:

a. *NOMEN generis*, sive *genericum*, atque praefigitur in recensu Specierum singularum (§. 84.) ad Genus pertinentium.

*Characteri* cuiuslibet *specifico* (§. 68. n. 2.) quo ipso constat

*β. NOMEN Speciei, five specificum.*

At vèro cum Nomen specificum (*β.*) licet admodum succinctam contineat descriptionem notarum differentiae, haud semper tam paucis constet verbis, ut facile memoria teneri, et commode allegari possit,

cuiuslibet Speciei, itemque aliquando Varietati (§. 84. b.) notabiliori, *LINNAEUS* praefixit

*γ. NOMEN triviale*, unico verbo constans hinc usui cōmmuni inserviēdo aptum atque commodum. (\*)

(\*) Legi merentur Ill. Equ. *MURRAYI Programata duo: Vindiciae Nominum trivialium stirpibus a LINN. Equ. impertitorum. Gotingae 1782.*

2. Aliorum Botanicorum Nomina in descriptione Generis vel Speciei allegata,

*δ. SYNONYMA generica vel specifica* vocantur; eorumque

collectio, cui addi solet scriptorum itemque loci in quo nomen invenitur, atque Iconum si tales exstant indicatio

*ε. SYNONYMYA botanica* audit.

Insignis est Synonymiae utilitas, tum ad certiozem distinctionem, tum ad completam Plantarum historiam, (†) imprimis vero si forte de aliqua planta ob mutatum nomen, vel alias varias causas, dubia oriuntur.



(†) *Synonymiam* a LINNAEO collectam vide in *Species Plantarum*; multa addidit, erronea correxit in *Systemate Vegetabilium*.

HALLERI *Enumeratio*, ut et eius *Historia stirpium Helvetiae*, prae aliis divites sunt *Synonymis*.

Quae veto omnes superat hucusque factas *collectiones Synonymiae botanicae*, est magnus *Thesaurus*, conscriptus a clarissimo inter Botanicos ob summam industriam qua coluit artem, atque acerrimum eius in Criticâ botanica iudicium, *Christiano Ludovico WIL-LICH*; qui ab antiquissimis ad sua usque tempora, omnia plantis data Nomina, horumque multifarias mutationes, labore summo ac solertia stupenda per plus quam 30 annos continuatis, congeffit. Hunc *Thesaurum MANUSCRIPTORUM*, et quidem unicum, ut dici meretur, continentem ultra decem millia plagularum, quibus propria manu omnis ac singulae plantae *Synonyma*, locos natales, descriptiones, figuras, et observationes, et harum permultas ipsis auctorum verbis, collecta inscripsit, emtione ab haeredibus salvum ac incolumen, in *meam* possessionem venisse, est, de quo mihi ob utilitatem eius summam, quam et ego et amici in dubiis quaestionibus resolvendis saepissime percepimus, maxime gratulor.

### §. 88.

Plurium Generum (§. 85.) convenientia in qualitate iis communi, determinat dispositionem eorum in

#### e. ORDINES.

Definitio notarum convenientiae vocatur: *ORDINIS Character*, (§. 86. n. I.) cuius ideam, ipsum

Nomen ORDINIS, (\*) quatenus unico hoc fieri potest verbo, in se comprehendit.

(\*) e. g. *MONOGYNIA*; *DIGYNIA*; — *POLYGYNIA*; etc. vid. infra Cap. IV. explicationem specialem Systematis sexualis Linnaeani,

## §. 89.

Simili modo: plurium Ordinum (§. 88.) coniunctio, ab qualitate iis communem, determinata legibus Systematis (§. 83.) constituit

f. *CLASSEM*.

Definitio indicans convenientiae Ordinum notam, *Character CLASSIS* vel *classicus* appellatur, cuius ideam, pari ratione ut fit in Ordinibus, (§. 88.) ipsum

Nomen CLASSIS (†) exprimit.

(†) e.g. *MONANDRIA*; *DIANDRIA*; *TRIANDRIA*; etc. vid. §. 92. notam.

## §. 90.

Schema universale, quod unico oculi obtutu capienda

Fundamenta Systematis, eique superstructam basin, i. e. principia divisionum in Classes (§. 89.) horumque in Ordines (§. 88.) docet

g. *CLAVIS SYSTEMATIS* audit.

Ad huius normam dein componitur *Tabula* totius Systematis, (§. 83.) exhibens, praefixis Nominibus Classium et Ordinum, recensum *Generum* (§. 85.) Ordini cuique associatorum. (\*)

Systematis sexualis Linnaeani *CLAVEM* vide Cap. IV. §. 108. annexam.

*Tabula* vero huius Systematis, cum recensu *Generum* praefixa est *Systemati Vegetabilium*,

(edit. 13. *Murrayi*, sub titulo: *Classium Genera* p. 25 — 48.)

(\*) Eiusmodi Claves atque Tabulas omnium Systematum botanicorum ab eorum primordiis ad sua usque tempora LINNAEUS exhibuit in proprio libello, cui titulus, *Classes Plantarum*. Leidae 1738. 8vo. recuf. Halae Magd. 1747. 8vo.

Plurimorum antiquorum et recentiorum Schemata explicata dedit Clariff. OEDER, in *Elementis Botanicae* P. II. p. 144 — 235. a quo dein etiam varia nova Systemata p. 238 — 258. proposita sunt, secundum Schemata sua ulterius perficienda.

### §. 91.

Principalis quaedam e qualitatibus *PARTIUM FRUCTIFICATIONIS* (§. 7.) ideo eligitur pro

*SYSTEMATUM botanicorum* FUNDAMENTO, cui innitatur horum BASIS, sive Systematis Classes (§. 89.) et Ordines (§. 88.) determinans relatio, selecti huius partis Fructificationis ad alias earum varias qualitates;

quia Partes Fructificationis longe minus accidentali mutationi obnoxias esse observamus, reliquis partibus plantarum Vegetationi dicatis, v. g. Radice, Caule, Foliis, adeo mutabilibus, ut his superstructum Systema, solido fundamento carens, perfici nequeat.

Cum vero absonum sit, Naturae, in operibus suis adeo polymorphae limites quasi praescribere velle; nullumque excogitari unquam possit humana

arte *Systema universale*, cuius legibus illa semper ac ubique adstringi se patiantur:

*universales qualitates*, respectu ad *Systema*, eas vocare cogimur, quae haud quidem sic dici queunt sensu strictissimo, attamen *plurimis communes* esse observantur. (\*)

(\*) Hinc facile explicari poterit frequens in omni botanico *Systemate*, principiis stabilitis offendens *anomaliam*. Hic enim, uti in omnibus Scientiis, tritum illud quoque valet: *Nulla regula sine exceptione*.

### §. 92.

Est itaque, ut hocce exemplo pro illustratione utamur, *Systematis sexualis Linnaeani FUNDAMENTUM*:

*SEXUS Plantarum*, (§. 32.) indeque pendens actio *Generationis*, (§. 28. §. 29. n. 3.) quam *Nuptias Plantarum* dixit *LINNAEUS*; cuius *Basin* constituunt:

*STAMINUM qualitates*, (§. 28. 29.) praecipue. numerus eorum; *Proportio relativa*; *Nexus filamentorum, Antherarumque*, ad *Classium* (§. 89.) *determinationem*. (†)

(†) Determinantur inter *Classes* a *Numero staminum*: unico: *Classis I. MONANDRIA*; bino: *Cl. II. DIANDRIA*; terno: *Cl. III. TRIANDRIA*; et sic porro usque ad *Cl. XIII. POLYANDRIAM*, cui tanta multitudo staminum ut vix numerari amplius queant.

*Proportione longitudinis* determinantur; *Cl. XIV. DIDYNAMIA*, e quatuor, duobus staminibus longioribus; *Cl. XV. TETRADYNAMIA* e sex; quatuor longioribus.

*Nexu filamentorum*: in unum corpus: Cl. XVI. MONADELPHIA; in duo corpora: Cl. XVII. DIADELPHIA; in plura: Cl. XVIII. POLYADELPHIA — *Antherarum* coalitu inter se: Cl. XIX. SYNGENEZIA. — *Staminum Nexus cum Pistillo*: Cl. XX. GYNANDRIA.

*Sexus separatus*; at uterque in eadem planta: Cl. XXI. MONOECIA. in duobus distinctis: Cl. XXII. DIOECIA. — *Sexus mixtus*: Cl. XXIII. POLYGAMIA. — Ultima est Cl. XXIV. CRYPTOGAMIA; sive Plantarum, in quibus nudis oculis haud patet structura genitalium.

### §. 93.

Simili ratione *PISTILLI* (§. 30. 31.) qualitates (\*) praecipue: Numerus Stylorum; (§. 31. n. 3.) fitus eius, Staminibus propinquus aut remotus, et quae sunt aliae plures, *Classium Ordines* (§. 88.) determinant.

(\*) Illustrationem earum vide infra Cap. IV. in Systematis sexualis Linnaeani speciali explicatione.

### §. 94.

Quemadmodum Systematis sexualis Linnaeani Fundamentum est: Sexus plantarum; (§. 92.) cuius basin, ad superstruendas Classes, harumque distinctionem in Ordines, constituunt Staminum atque Pistilli qualitates variae: (§. 93.) sic quoque

*aliarum partium Fructificationis qualitates*, solerti examine a Botanicis indagatae, sub prudenti selectu et associatione, construendis *aliis Systematibus* inserviunt.

Hinc nata vides: a *Calyce*; *Covolla*; *Fructu*; *Semine*, Botanicorum tot, tamque diversa *Systemata*, ad quorum normam pertractarunt plantarum historiam.

## §. 95.

De *USU SYSTEMATUM botanicorum*, paucis generalioribus supra iam (§. 83.) praemissis, nunc adhuc quaedam specialiora addimus:

1. Determinatur Plantae cuique, in Systemate rite constituto, *Locus* quidam, certus atque fixus, quem indigitat quaerenti: *Clavis systematis*. (§. 90.) Hunc filum ariadneum sequendo, itaque

2. in ambitu vastissimo totius Regni vegetabilis, inque tot millenarum Specierum, unam alteramve a coetu reliquarum separatam penitus cognoscendi, Nomine eius per examen Characterum, generici et specifici (§. 86.) explorato, Synonyma auctorum, (§. 87.) et quae reliqua ad plantae istius pertinent notitiam investigandi, commodum praebent *Systemata* adminiculum.

3. Cum insigni et temporis et laboris lucro, de qualibet planta, perlustrando *Systemata*, scire poteris:

an, et quibus auctoribus cognita sit? an existent, et ubi, eius descriptiones atque icones? vel: an nova? dubia? Icone et illustratione egens?

4. *Systema* construendi scopo, *Partium Fru-ctificationis*, quae pro fundamento eius, atque basi

feliguntur, qualitates omnes summa cum solertia investigantur, harum notitia itaque exinde maxime illustratur. Hinc patet:

5. Inventionem *novi* Systematis, semper augere quoque examine subtiliore illarum partium notitiam, quae novi sunt Systematis fundamentum. Itemque exinde probatur

6. utilitas summa exercitationis in examine plantarum secundum Systemata plura atque diversa.

### §. 96.

Haud temere itaque assentias iis, qui re haud satis perpensa, asserunt:

multiplicationem Systematum gravare Studium Botanices.

Contrarium enim probant lucra scientiae exinde nata, modo velis usum ab abusu caute distinguere.

### §. 97.

Si, instituto prius examine plantarum ipsarum proprio, perscrutando structuram omnium partium et Fructificationis (§. 7.) et Vegetationis, (Radicis, Trunci, Foliorum, etc.) dein harum *observationum facta applicatione ad varia Systemata, (\*)* multorum Generum qualitates probe cognoscas,

*maximam similitudinem* in qualitatibus variis, saepe *iis* esse deprehendes cum *aliis* Generibus, quae fugitivo aspectu longe differre credideris.

(\*) *Minime enim spernendum est consilium tanti momenti, quod dedit LINNAEUS tironibus: vid. Eius Praevationem ad Classes Plantarum (conf. §. 90. notam.) et imprimis sequentia verba:*

„*Edidi itaque has methodos, ut Tyro quam primum adgrederetur Botanicam, haberet normam, secundum quam suas dissectiones florum institueret; quanti enim evolumentum mihi adhuc Tyroni hocce fuerit, expertus novi.*” —

„*Postquam examinaverint iuniores Botanici plantas secundum omnes methodos, apti sunt ad ferendum maturam de singulis iudicia, quae tam raro alias occurrunt, cum communiter apud omnes unica in pretio sit methodus, reliquae autem minus.*”

## §. 98.

Haec ipsa *similitudo Generum Plantarum*, haud alia ratione, quam solerti *examine omnium partium*, tam *Fructificationis* (§. 7.) quam *Vegetationis*: Radicis, Trunci s. Caulis, Foliorum, Fulcrorum, aliarumque *in complexu consideratorum detegenda*, vocatur *AFFINITAS naturalis*. (\*)

(\*) In *affinitate naturali* exploranda maxime attendere oportet ad *HABITUM*, quem LINNAEUS sequenti modo definit:

„*HABITUS est conformitas quaedam Vegetabilium affinium et congenerum in Placentatione, Radicatione, Ramificatione, Intorsione, Gemmatione, Foliatione, Stipulatione, Pubescentia, Glandulatione, Lactescentia, Inflorescentia, aliisque.*” quarum omnium explicationem specialem vide in *Philos. botan.* §. 163. p. 101 — 112. §. 168. p. 117.



## §. 99.

Dispositio Generum (§. 85.) secundum *affinitates naturales*, (§. 98.) solerti examine exploratas dicitur:

*METHODUS NATURALIS;*

quae ex hac dispoitione nascuntur Series GENERUM, ob mutuam affinitatem associatorum, dicuntur:

*ORDINES NATURALES;* (†) vel alio Termino hanc ideam exprimente:

*FAMILIAE NATURALES.* (††) *PLANTARUM.*

(†) Vid. *ORDINES naturales* a LINNAEO concinnatos, annexos post *Indicem Generum Plantarum editioni VI.* itemque *Terminis botanicis edit. alt. Giesek. pag. 370 — 395.*

Summa attentione digna est quoque multorum annorum studio elaborata Generum in *ORDINES naturales* dispositio Sigismundi Augusti BÜTNERI, olim Professoris Botanices in acad. Gottingensi; a discipulo suo Cl. Johanne Philippo RÜLING, (Med. Doct. et nunc civitatis Einbeccensis Physico) qui et collectione eorum, ab ipso Praeceptore nostro, cuius cineres pie colimus, approbata, et ad Eius mentem elaborato Schemate affinitatum, de Scientia rei herbariae bene meruit, editi in *Commentatione*, cui titulus: *Ordines naturales plantarum. Gottingae 1774. octavo.*

(††) Vid. Cl. ADANSON *Familles des plantes. Paris 1763. octavo. II. Vol.*

## §. 100.

Sicut vero ista Generum Plantarum secundum *affinitates naturales* dispositio, (§. 98. 99.) in qua

sequendo vestigia notarum vinculi, quo catenae instar a NATURA ipsa connectuntur, oportet ad

*omnium partium plantae qualitates in complexu, et habitum uti LINNAEUS appellat (§. 98. (\*) nota.) attendere, vocari solet METHODUS naturalis; (§. 99.) ita secundum*

*Singularum partium plantae Fructificationis pro arbitrio electarum qualitates, facta artificialis Generum dispositio systematica (§. 83.)*

*METHODUS artificialis, atque ob concinnum nexum Ordinum in Classes, Clave (§. 90. g.) determinandum*

*SYSTEMA artificiale (†) dicitur.*

†) Huiusmodi est: *Systema sexuale LINNAEI*, inter plura alia Botanicorum, simili fundamento superstructa arbitrario. (Conf. §. 94.)

§. 101.

Tali Clave (§. 90. g.) autem in *METHODO naturali* deficiente, caremus quoque adhuc *Fundamento*, cui possit superstrui

*verum SYSTEMA naturale. Hoc tamdiu manebit in votis, donec e perfecta et absoluta omnium per universum terrarum orbem dispersorum Vegetabilium cognitione,*

*clare demum patebit multiplex affinitatis vinculum, omnia Genera in Familias, (§. 99.) et has inter se mutuo connectens; cuius varii modi probe perspecti, desideratum Clavem docebunt.*

## §. 102.

Accelerato passu autem progredi ad hos usque limites Scientiae ultimos, vetat imbecillitas virium humanarum; quin felicitatis spes vix est seculis futuris, perfici posse *SYSTEMA naturale absolutum*.

Qui enim fuerunt hucusque omnium conatum et assidui laboris fructus, sunt: et re ipsa, et nomine

*FRAGMENTA ORDINUM NATURALIUM,*

quae, instar articulorum catenae distractae, connectere sensim sensimque allaborant Botanici,

summo studio in scrutinium plantarum noviter detectarum, harumque cum cognitis comparationem impenso, ad vinculum detegendum, quo its annecti queant Genera vagi adhuc incertique loci, et dubiae affinitatis.

## §. 103.

Licet vero *FRAGMENTA* tantum, nobis sint *ORDINUM naturalium*, (§. 102.) et in his quoque a peritissimis Scientiae magistris multa emendanda restent; tamen

*haud exigua eorum iam est utilitas, ob insigne quod praestant commodum:*

*pleniorum nempe de Plantis nos docent notitiam, in consortio plurium qualitatum, et imprimis quoque interiorum, atque virtutum, ad varias res oeconomicas et*

*auxilia medica, vitando noxias, utiles et salutaves vite ac congrue adhibendi.*

## §. 104.

Quaestione mota, de *praerogativo merito* vel *SYSTEMATI artificiali*, vel *METHODO naturali* (§. 100.) tribuendo, ad scopum respicias utrorumque diversum:

Si enim scire velis Nomen Plantae cuiusdam, tibi ignotae; vel: an sit cognita Botanicis, descripta, picta? resolutionem harum quaestionum petas solummodo e *SYSTEMATE artificiali*. (§. 95.)

Si vero, in scrutinio qualitatum et virium (\*) plantae, adiumentum quaeris, confulere oportet *METHODUM naturalem*. (§. 103.)

(\*) De *convenientia virium* ex Ordinibus naturalibus coniecturanda, vide *LINNAEI Philos. bot.* p. 278. §. 336 — 356.

## §. 105.

At de selectu inter plura *SYSTEMATA artificialia* (§. 100.) nunc quaeris: *an, et quale aliis praefendum sit?*

Respondeo: Si verum est e *Systematibus omnibus, ob diversum eorum fundamentum, propria ac singularia quaedam Scientiae enasci lucra atque comoda*; Conclusio quoque valet: *Nullum eorum ut inutile spernendum esse.* (§. 95. 96.) Attamen si unum quod-

quoddam prae caeteris, *ad methodum studii artis systematici discendam*, feligere velis, praeferas

Syftema cuius Clavis (§. 90. g.) nctas admodum faciles intellectu pro examine plantarum exhibet, petitas

e partibus Fructificationis oculis (sine frequenti microscopii adminiculo) patentibus, ac in distinctione specierum, minus obnoxiiis ambiguitatum dubiis, ob accidentalem variam partium mutabilitatem. (§. 91.)

### §. 106.

Ex his omnibus hucusque (a §. 83 — 105.) de generali notione Systematum dictis, satis quidem iam probari credimus:

I. tum ad allevandum tironi studium rei herbariae, tum ad feliciores in arte progressus faciendos, cognitionem omnium Systematum non solum utilem, sed adeo summe necessariam esse; (\*) ideoque *tironibus admodum male consuli a Docente:*

*si imprudenter spretis aliis, unius solummodo usum suadet.*

Hinc sane tirones enim libera ingenii et iudicii facultate praeconceptis opinionibus, atque commentis praerogativis vineta, in magistri verba iurare assueti, cum maximo damno et proprio et artis, stulti ac coeci evadunt Systematis dilecti prae caeteris affectatores. — Nonne similes videntur

peregrinatori, qui maris fretum, commodis atque securitate navis, sibi oblatae spretis, periculose ac summa cum molestia transnare velit? —

(\*) Conf. §. 97. notam.

2. Omnino sunt Systemati *cuique* certa quaedam ac propria *commoda*, quibus utendo *examen plantarum quorundam* mirum in modum *facile* et *iucundum* fieri senties; at vero *idem* reperies in *aliarum plantarum exploratione* *molestum* *obscuritate* et *incommodis*, *mutato selectu Systematum* autem *levandis*, vel adeo in totum *removendis*.

3. Praeterea notissimum est: in quadam planta Calycem, in alia Corollam, in alia Fructum etc. notas prae se ferre admodum distinctas; Stamina vero e. g. in iisdem vel admodum exilia, vel marcida, aut iniuriis laesa, difficilius examinari posse; quid itaque magis et rei et scopo desiderato consentaneum esse videtur, quam experiri prioris scrutinium: secundum Systema *a Calyce*, alterius secundum Systema *a Corolla*, tertiae secundum Systema *a Fructu*?

4. Accedit denique et hoc gratissimum emolumentum, quo frui per saepe poterint usui *plurium* Systematum assueti, ut queant plantae adeo examen instituire, in qua, praeter fructum, de partibus floris nil restat, consulendo tunc unum alterumve Systema *a Fructu*; cuius indicium e principiis

Systematis petum, artis peritis iam sufficit, ad maxime probabilem coniecturam, ulteriori examine et comparatione illustrandam.

## §. 107.

Sufficiant haec scopo nostro, cui satisfecisse nos credimus, si revocato animo ab odio Systematum novercali iniquo, rationi locum dare videbimus plures eorum, qui docentium culpa, unico addicti reliqua abhorrent, at quoque, commodis notitiae plurimum carentes, de parum felici conatuum suorum in arte progressu merito quaeruntur.

Fontes itaque quosdam tantummodo adhuc indicabimus, e quibus tirones plenioram notitiam omnium Systematum haurire poterunt.

1. *Caroli LINNAEI: Classés Plantarum. Lugdun. Batav. 1738. octavo. recus. Halae Magd. 1747.*
2. *EIUSDEM: Philosophia botanica. p. 2. §. 5 — 77. porro: Sect. VI. Characteres. §. 151. seq.*
3. *Georgii Christiani OEDER: Elementa Botanicae. p. 143. §. 145 — 208. versionis germanicae: pag. 163. (prodiit utrorumque Pars I. Hafniae 1764. Pars II. ibid. 1766. octavo.)*
4. *Christiani Gottlieb LUDWIG: Institutiones historico physicae regni vegetabilis. p. 60. §. 159 — 182. (Edit. alt. auct. et emend. Lipsiae 1759. octavo.)*

5. *Michaelis ADANSON: Familles des plantes. Paris 1763. octavo. praesertim Praefatio Vol. I.*
6. *Pauli Dieterici GISEKE: Dissertatio inauguralis sistens: Systemata plantarum recentiora. Gottingae. 1767. quarto.*
7. *Ioannis Philippi RÜLING: Commentatio botanica: Ordines naturales plantarum. Gottingae. 1774. octavo. p. 1. — 36.*

Sed addimus quoque inter eos, qui nimias laudes Systematum et Methodorum, sincera defectum et incommodorum quibus laborant confessione, iuste moderantur:

8. *Albrecht Wilhelm ROTH: Verzeichniß derjenigen Pflanzen, welche nach der Anzahl ihrer Geschlechtstheile nicht in den gehörigen Klassen und Ordnungen des Linnéischen Systems stehen; nebst einer Einleitung in dieses System. Altenb. 1781. octavo.*
9. *Friedrich Kasimir MEDIKUS: botanische Beobachtungen des Jahrs 1782 und 1783. Mannheim. 1783 und 1784. octavo. II. Vol.*
10. *Nicolaus Joseph Edlen von JACQUIN: Anleitung zur Pflanzenkenntniß nach Linné's Methode. Wien. 1785. octavo. Praefationis p. 9 — 18.*
11. *Georg Adolph SUCKOW: Anfangsgründe der theoretischen und angewandten Botanik. Leipzig. 1786. II. Theile. p. 132. §. 158 — 165.*



12. August Johann Georg Carl BATSCH: *Versuch einer Anleitung zur Kenntniß und Geschichte der Pflanzen. 1r Theil. Halle 1787. octavo. p. 7. §. 13 — 16. p. 291. Cap. XXIV. §. 327 — 343.*
- 

CAPUT IV.

EXPLICATIO

SYSTEMATIS SEXUALIS  
LINNAEANI:

CLASSES, ORDINES, GENERA, SPECIES,

PLANTARUM EXEMPLIS, HARUMQUE CHARACTE-  
RUM DEFINITIONIBUS ILLUSTRANDO.

---

§. 108.

Iam e praecedentis Capituli §o 92. notum est: SEXUM Plantarum constituere *Fundamentum* ob independentem Generationis functionem sive Nuptias Plantarum; *Basin* vero, STAMINUM et PISTILLI varias qualitates, ad distinctionem *Classium* et *Ordinum*

SYSTEMATIS SEXUALIS LINNAEANI.

Nunc itaque propius perlustrabimus rationem huius constructionis, in qua respectu ad CLASSES, sequentia generaliora notamus:

NUPTIAE  
PLANTARUM:  
Actus Genera-  
tionis inco-  
larum Regni  
Vegetabilis.  
*Florescentia.*

PUBLICAE:  
Nuptiae omni-  
bus manife-  
stae, aperte  
celebrantur.  
*Flores unicui-  
que visibiles.*

MONOCLINIA.  
Mariti et Uxores  
uno eodemque  
thalamo gau-  
dent.  
*Flores omnes her-  
maphroditi; sta-  
mina cum pistil-  
lis in eodem flore.*

DICLINIA.  
Mariti et foeminae distinctis thalamis  
gaudent.  
*Flores masculi et foeminei in eadem specie.*

CANDESTINAE:  
Nuptiae clam celebrantur.  
*Flores oculis nostris vix conspiciuntur.*

DIFFINITAS:  
Mariti inter se non  
cognati.  
*Stamina nulla sua  
parte connata in-  
ter se sunt.*

AFFINITAS.  
Mariti propinqui et  
cognati sunt.  
*Stamina cohaerent:*

INDIFFERENTISMUS.  
Mariti absque sub-  
ordinatione.  
*Stamina longitudine  
indeterminata.*

SUBCRINATIO.  
Mariti certi reliquis  
praeferuntur.  
*Stamina duo semper  
breviora sunt re-  
liquis:*

filamentis, { unum: XVI. MONADE  
                  { duo: XVII. DIADELPHIA  
                  { in corpus: plura: XVIII. POLYADELPHIA  
                  { antheris in cylindrum: XIX. SYNGENETICA  
vel inter se {  
                  { vel cum pistillo: - - - XX. GYNANDRIA

in eadem planta: - - XXI. MONOECIA  
in diversa planta: - - XXII. DIOECIA.  
in eadem planta cum  
hemaphroditis: - - XXIII. POLYGAMIA

- 1. I. MONANDRIA
- 2. II. DIANDRIA
- 3. III. TRIANDRIA
- 4. IV. TETRANDRIA
- 5. V. PENTANDRIA
- 6. VI. HEXANDRIA
- 7. VII. HEPTANDRIA
- 8. VIII. OCTANDRIA
- 9. IX. ENNEANDRIA
- 10. X. DECANDRIA
- 12. XI. DODECANDRIA
- 20- 30. XII. ICOSANDRIA
- 20-1000. XIII. POLYANDRIA

2. XIV. DIDYNDRIA

4. XV. TETRADYNDRIA

XXIV. CRYPTOGAMA

minum et Pistillorum numerum, suis locis in Systemate inferere haud potuit; quorum plurimorum vero Cl. THUNBERGII studio indefesso et examine in solo natali instituto, illustrationem plenioram debemus.

Reliqua docebit annexus *CLAVIS SYSTEMATIS*, ut et sequens

*Specialis CLASSIUM ORDINUMque secundum leges in titulo Capitis indicatas explicatio.*

§. 109.

PRIMA Classis, MONANDRIA dicitur:

„a *μόνος* unicus, et *ἀνὴρ* maritus;

Maritus unicus in matrimonio. *Stamen unicum in flore hermaphrodito.*” vide: LINNAEI *Classium Characteres*, in *Generibus Plantarum*, edit. VI. p. XVII. et *Systemate Vegetabilium*, edit. XIV. p. 22.

ORDINES: II.

I. *MONOGYNIA*: a *μόνη* unica, et *γυνή* femina.

Itaque cum Stamine unico, *unicum Pistillum*, in flore hermaphrodito.

Notandum: in omnibus Ordinibus a numero Pistilli determinatis attendere iubet LINNAEUS ad *basin Styli*, numerum Stylium singulorum distinguentem; deficiente vero *Stylo*, calculum fieri a numero *Stigmatum*.

II. *DIGYNIA*: duo *Styli*, vel duo *Stigmata*, eodem modo.

GENERUM *Characteres*:

(§. 86. n. 1. 3. §. 87. n. 1. a.)

Ord. I. CANNA. *Characterem naturalem* (§. 86. n. 6.)  
exhibet: MILLERI *Illustratio*, Tab. I.

*Character systematicus* sive *compendiarius*, (§. 86.  
n. 4.) huius Generis est:

*Corolla* sexpartita: labio bipartito revoluta. *Calyx* triphyllus. *Syst. Veg. edit. XIV.* p. 49.  
n. 1. — *Stylus* lanceolatus corollae adnatus.  
p. 50. n. 1.

(In *Characterem naturali* (Tab. I.) Labium *Corollae* inferius *Nectarium* petaloideum (§. 25.  
n. 2. b.) appellatur a LINNAEO.

II. BLITUM. *Char. nat.* MILLERI *Illustr.* Tab. 2.  
*Charact. systematicus*:

*Calyx* trifidus baccatus. *Corolla* nulla. *Se-*  
*men* unicum. *Syst. Veg.* p. 49. 53. n. 14.

SPECIERUM *Characteres*:

(§. 86. n. 2. §. 87. n. 1. β. γ.)

Ord. I. CANNA *indica*, foliis ovatis, utrinque  
acuminatis nervosis. *Syst. Veg.* p. 50. n. 1.  
*Sp. Pl.* p. 1. n. 1.

II. BLITUM *virgatum*, capitellis spicatis  
terminalibus. *Syst. Veg.* p. 53. n. 1. *Sp. Pl.*  
p. 6. n. 1.

## §. IIO.

SECUNDA *Classis*, DIANDRIA:

„Mariti duo in eodem coniugio. *Stamina* duo  
*in flore hermaphrodito.* LINN. *Class. Charact.* l. c.

ORDINES: III.

I. *MONOGYNIA*: cum duobus *Staminibus* in eo-  
dem flore, *unicus Stylus*.

- II. *DIGYNIA*: — — duo,  
 III. *TRIGYNIA*: — — tres *Styli*; vel  
*tot Stigmata*, deficientibus *Stylis*.

GENERUM *Characteres*:

Ord. I. *MONARDA MILLERI Illustr. Tab. 3.*

*Corolla* ringens: galea lineari obvolvante genitalia. *Syst. Veg.* p. 55. n. 37.

*Corolla* inaequalis; labio superiore lineari, filamenta involvente. *Semina* quatuor. p. 68. n. 37.

II. *ANTHOXANTHUM MILLERI Illustr. Tab. 4.*

*Calyx*: Gluma uniflora, oblonga; *Corolla*: Gluma aristata. *Syst. Veg.* p. 55. n. 42.

*Calyx*: Gluma bivalvis, uniflora. *Corolla*: Gluma bivalvis, acuminata. *Semen* unicum. p. 73. n. 42.

III. *PIPER MILLERI Illustr. Tab. 5.*

*Calyx* nullus. *Corolla* nulla. *Bacca* monosperma. *Syst. Veg.* p. 55. 74. n. 43.

SPECIERUM:

Ord. I. *MONARDA didyma*, floribus capitatis, subdidynamis, caule acutangulo. *Syst. Veg.* p. 68. n. 2. *Sp. Pl.* p. 32. n. 2.

II. *ANTHOXANTHUM odoratum*, spica oblonga, ovata, flosculis subpedunculatis, arista longioribus. *Syst. Veg.* p. 73. n. 2. *Sp. Pl.* p. 40. n. 1.

III. *PIPER nigrum*, foliis ovatis, subseptemnerviis, glabris, petiolis simplicissimis. *Syst. Veg.* p. 74. n. 1. *Sp. Pl.* p. 40. n. 1.

§. III.

TERTIA Classis, TRIANDRIA:

„Mariti tres in eodem coniugio. *Stamina tria in flore hermaphrodito.*” LINN. *Class. Charact.* l. c.

## ORDINES: III.

- I. *MONOGYNIA*: cum tribus Staminibus in eodem flore, *unicus Stylus*.
- II. *DIGYNIA*: — — — *duo*,
- III. *TRIGYNIA*: — — — *tres Styli*; vel  
Stylis deficientibus, *tot Stigmata*.

## GENERUM Characteres:

Ord. I. CROCUS. MILLERI *Illustr. Tab. 6.*

*Corolla* hexapetaloidea, erecto patula. *Stigmata* convoluta, colorata. *Syst. Veg.* p. 76. n. 55. — *Corolla* sexpartita aequalis. p. 83. n. 55.

II. AVENA. MILLERI *Illustr. Tab. 7.*

*Calyx* bivalvis. *Corolla* oblonga: valvis dorso arista contorta. *Syst. Veg.* p. 78. n. 91. — *Calyx* bivalvis multiflorus. p. 121. n. 91.

III. MOLLUGO. MILLERI *Illustr. Tab. 8.*

*Corolla* nulla. *Calyx* pentaphyllus. *Capsula* trilocularis. *Syst. Veg.* p. 79. n. 106. — *Capsula* trilocularis trivalvis. p. 129. n. 106.

## SPECIERUM:

Ord. I. CROCUS *fativus*, spatha univalvi, radicali; corolla tubo longissimo.

*α. autumnalis*, foliis angustioribus, margine revolutis. *Syst. Veg.* p. 83. n. I. *α.*  
*Sp. Pl.* p. 50. n. I. *α.*

II. AVENA *fatua*, paniculata; calycibus trifloris, omnibus aristatis, basi pilosis. *Syst. Veg.* p. 122. n. 8.

AVENA paniculata, calycibus trifloris, flosculis omnibus basi pilosis, aristas totis laevibus. *Sp. Pl.* p. 118. n. 7.

III. MOLLUGO *verticillata*: foliis verticillatis, cuneiformibus, acutis, caul: sub-

diviso, decumbente, pedunculis unifloris.  
*Syst. Veg.* p. 129. n. 5. *Sp. Pl.* p. 131. n. 5.

## §. 112.

## QUARTA Classis, TETRANDRIA:

„Mariti quatuor in eodem coniugio. *Stamina*  
*quatuor in eodem flore cum fructu.*

(*Si Stamina duo proxima breviora sunt, referatur*  
*ad Classem XIV.*)” LINN. *Class. Charact.* l. c.

## ORDINES: III.

I. *MONOGYNIA*: cum quatuor Staminibus aequa-  
 lis longitudinis, in eodem  
 flore, *unicus Stylus.*

II. *DIGYNIA*: — — *duo,*

III. *TETRAGYNIA*: — *quatuor Styli,* vel in  
 defectu Stylium, *tot Stig-*  
*mata.*

## GENERUM Characteres;

Ord. I. DIPSACUS: MILLERI *Illustr. Tab. 9.*

*Calyx communis* foliaceus. *Receptaculum* conicum paleaceum. *Semina* columnaria. *Syst. Veg.* p. 131. n. 114. — *Calyx communis* polyphyllus: *proprius superus.* p. 143. n. 114.

II. HAMAMELIS. MILLERI *Illustr. Tab. 10.*

*Corolla* tetrapetala, longissima. *Calyx* duplex.  
*Nux* bilocularis, bicornis. *Syst. Veg.* p. 135.  
 n. 166.

*Involucrum* triphyllum. *Calyx proprius* tetra-  
 phyllus. p. 167. n. 166.

III. POTAMOGETON. MILLERI *Illustr. Tab. 11.*

*Corolla* nulla. *Calyx* tetraphyllus. *Semina*  
 quatuor, sessilia. *Syst. Veg.* p. 135. n. 174.

*Calyx nullus. Petala quatuor. Stylus nullus.*  
p. 168. n. 174.

## SPECIERUM :

Ord. I. DIPSACUS *laciniatus*: foliis connatis, sinuatis. *Syst. Veg.* p. 143. n. 3. *Sp. Pl.* p. 141. n. 2.

II. HAMAMELIS *virginiana*. — *Syst. Veg.* p. 167. n. 1. *Sp. Pl.* p. 180. n. 1.  
(unica species generis: hinc nulla specifica differentia notari potest.

III. POTAMOGETON *natans*: foliis oblongo ovatis, petiolatis, natantibus. *Syst. Veg.* p. 168. n. 1. *Sp. Pl.* p. 182. n. 1.

## §. 113.

## QUINTA Classis PENTANDRIA:

„Mariti quinque in coniugio. *Stamina quinque in flore hermaphrodito.*” LINN. *Class. Charact.* l. c.

## ORDINES: VI.

- I. MONOGYNIA: cum quinque Staminibus in eodem flore, *unicus Stylus,*  
 II. DIGYNIA: — — *duo,*  
 III. TRIGYNIA: — — *tres,*  
 IV. TETRAGYNIA: — *quatuor,*  
 V. PENTAGYNIA: — *quinque,*  
 VI. POLYGYNIA: — *permulti Styli, vel totidem Stigmata, si Styli deficient.*

## GENERUM Characteres :

Ord. I. NERIUM. MILLERI *Illustr. Tab.* 12.

*Folliculi duo erecti. Corolla fauce coronata. Semina papposa. Syst. Veg.* p. 174. n. 297.



Contorta. (vid. *Ordinum naturalium LINN. XXX.*) *Semina* plumosa. *Corollae* tubus terminatus corona lacera. *Syst. Veg.* p. 253. n. 297.

II. ANETHUM. MILLERI *Illustr.* Tab. 13.

*Florum Flosculi* fertiles. *Semina* marginata, striata. *Syst. Veg.* p. 182. n. 364.

*Fructus* subovatus, compressus, striatus. *Petala* involuta, integra. *Syst. Veg.* p. 290. n. 364.

III. TURNERA. MILLERI *Illustr.* Tab. 14.

*Corolla* pentapetala. *Capsula* unilocularis. *Calyx* monophyllus, corollifer. *Syst. Veg.* p. 182. n. 376.

*Calyx* quinquefidus, infundibuliformis; exterior diphyllus. *Petala* quinque, calyci inserta. *Stigmata* multifida, *Capsula* unilocularis, trivalvis. p. 296. n. 376.

IV. PARNASSIA. MILLERI *Illustr.* Tab. 15.

*Corolla* pentapetala. *Capsula* quadrivalvis. *Nectaria* quinque, ciliato glandulosa. *Syst. Veg.* p. 183. n. 384.

*Calyx* quinquepartitus. *Nectaria* quinque cordata, ciliata, apicibus globosis. p. 299. n. 384.

V. CRASSULA. MILLERI *Illustr.* Tab. 16.

*Corolla* quinquepartita. *Capsulae* quinque polyspermae. *Syst. Veg.* p. 183. n. 392.

*Calyx* pentaphyllus. *Petala* quinque. *Squamae* quinque nectariferae, ad basin germenis. p. 304. n. 392.

VI. MYOSURUS. MILLERI *Illustr.* Tab. 17.

*Calyx* pentaphyllus. *Nectaria* quinque, linguata. *Semina* numerosa. *Syst. Veg.* p. 183. n. 394.

*Calyx* pentaphyllus, basi adnatus. *Nectaria* quinque, subulata, petaliformia. p. 308. n. 394.

## SPECIERUM:

- Ord. I. NERIUM *Oleander*: foliis lineari lanceolatis, ternis, corollis coronatis. *Syst. Veg.* p. 253. n. 1. *Sp. Pl.* p. 305. n. 1.
- II. ANETHUM *Foeniculum*: fructibus ovatis. *Syst. Veg.* p. 291. n. 3. *Sp. Pl.* p. 377. n. 2.
- III. TURNERA *Ulmifolia*: floribus fessilibus petiolaribus; foliis basi biglandulosis. *Syst. Veg.* p. 296. n. 1. *Sp. Pl.* p. 387. n. 1.
- IV. PARNASSIA *palustris*. — *Syst. Veg.* p. 299. n. 1. *Sp. Pl.* p. 391. n. 1.
- V. CRASSULA *coccinea*: foliis ovatis, planis, cartilagineo ciliatis, basi connato-vaginantibus. *Syst. Veg.* p. 304. n. 1. *Sp. Pl.* p. 404. n. 1.
- VI. MYOSURUS *minimus*. — *Syst. Veg.* p. 308. n. 1. *Sp. Pl.* 407. n. 1.

## §. 114.

## SEXTA Classis HEXANDRIA:

„Mariti sex in eodem coniugio. *Stamina sex in flore hermaphrodito.*

(*Si ex his, stamino duo opposita breviora, pertinent ad Classẽm XV.*)” LINN. *Class. Charact.* l. c.

## ORDINES: V.

- I. *MONOGYNIA*: cum sex Staminibus in eodem flore, *unicus Stylus.*
- II. *DIGYNIA*: — — *duo,*
- III. *TRIGYNIA*: — — *tres,*
- IV. *TETRAGYNIA*: — — *quatuor,*
- V. *POLYGYNIA*: — — *permulti Styli; vel si Styli desunt, totidem Stigmata.*

## GENERUM Characteres:

Ord. I. AMARYLLIS. MILLERI Illustr. Tab. 18.

*Corolla* supera, hexapetala, campanulata. *Stamina* inaequalia. *Syst. Veg.* p. 310. n. 406. — *Stigma* trifidum, p. 319. n. 406.

II. ORYZA. MILLERI Illustr. Tab. 19.

*Gluma* uniflora. *Corolla* biglumis. *Semen* unicum, oblongum. *Syst. Veg.* p. 312. n. 448.

*Calyx*: *Gluma* bivalvis, uniflora. *Corolla* bivalvis, subaequalis, femini adnascens. p. 345. n. 448.

III. RUMEX. MILLERI Illustr. Tab. 20.

*Calyx* triphyllus. *Corolla* tripetala. *Semen* unicum, triquetrum. *Syst. Veg.* p. 312. n. 451. — *Petala* tria conniventia. p. 346. n. 451.

IV. PETIVERIA. MILLERI Illustr. Tab. 21.

*Calyx* tetraphyllus. *Corolla* nulla. *Semen* unicum; aristis uncinatis. *Syst. Veg.* p. 312. n. 459. — *Semen* unicum, aristis reflexis. p. 350. n. 459.

V. ALISMA. MILLERI Illustr. Tab. 22.

*Calyx* triphyllus. *Corolla* tripetala. *Pericarpia* plura. *Syst. Veg.* p. 312. n. 460. — *Semina* plura. p. 350. n. 460.

## SPECIERUM:

Ord. I. AMARYLLIS *Belladonna*: spatha multiflora; corollis campanulatis, aequalibus, ungue reflexis; genitalibus declinatis. *Syst. Veg.* p. 320. n. 5. *Sp. Pl.* p. 420. n. 6.

II. ORYZA *fativa*: — *Syst. Veg.* p. 345. n. 1. *Sp. Pl.* p. 475. n. 1.

III. RUMEX *crispus*: floribus hermaphroditis: valvulis integris, graniferis, foliis lanceolatis. *Syst. Veg.* p. 346. n. 5.

RUMEX floribus hermaphr. etc. — foliis lanceolatis undulatis acutis. *Sp. Pl.* p. 476. n. 3.

IV. PETIVERIA *alliacea*: floribus hexandris. *Syst. Veg.* p. 350. n. 1. *Sp. Pl.* p. 486. n. 1.

V. ALISMA *Plantago aquatica*: foliis ovatis, acutis; fructibus obtuse trigonis. *Syst. Veg.* p. 350. n. 1. *Sp. Pl.* p. 486. n. 1.

## §. 115.

## SEPTIMA Classis, HEPTANDRIA:

„Mariti septem in eodem coniugio. *Stamina septem in flore eodem cum pistillo.*” LINN. *Class. Charact.* l. c.

## ORDINES: IV.

- I. *MONOGYNIA*: cum septem Staminibus, in eodem flore, *unicus Stylus*:  
 II. *DIGYNIA*: — — *duo*,  
 III. *TETRAGYNIA*: — — *quatuor*,  
 IV. *HEPTAGYNIA*: — *septem Styli*;  
 vel *totidem Stigmata*, si Styli deficient.

## GENERUM Characteres:

Ord. I. AESCULUS. MILLERI *Illustr. Tab.* 23.

*Calyx* quinquedentatus. *Corolla* pentapetala, inaequalis. *Capsula* trilocularis, disperma. *Syst. Veg.* p. 351. n. 462.

*Calyx* monophyllus, quinquedentatus, ventricosus. *Corolla* pentapetala, inaequaliter colorata, calyci inserta. p. 352. n. 462.

II. (LIMEUM. — LINN. *Gen. Pl. ed. VI.* n. 463.)

*Calyx* pentaphyllus. *Corolla* pentapetala, aequalis. *Capsula* bilocularis, polysperma. *Syst. Veg.* p. 351. n. 463. — *Capsula* globosa. p. 352. n. 463.)

III. SAU-

III. SAURURUS. MILLERI *Illustr. Tab. 24.*

*Calyx*: Amentum squamis unifloris. *Corolla* nulla. *Pistilla* quatuor. *Baccae* quatuor, monospermae. *Syst. Veg.* p. 351. 353. n. 464.

IV. (SEPTAS. — LINN. *Gen. n.* 465.)

*Calyx* septempartitus. *Corolla* heptapetala. *Germina* septem. *Capsulae* septem, polyspermae. *Syst. Veg.* p. 351. 353. n. 465.)

## SPECIERUM:

*Ord. I. AESCULUS Hippocastanum*: floribus heptandris. *Syst. Veg.* p. 352. n. 1. *Sp. Pl.* p. 488. n. 1.

II. (LIMEUM *africanum*: foliis oblongis petiolatis. *Syst. Veg.* p. 352. n. 1. *Sp. Pl.* p. 488. n. 1.)

III. SAURURUS *cernuus*: caule folioso, polytachio. *Syst. Veg.* p. 353. n. 1.  
SAURURUS foliis cordatis petiolatis; amentis solitariis recurvis. *Sp. Pl.* p. 489. n. 1.

IV. (SEPTAS *capensis*: — *Syst. Veg.* p. 353. n. 1. *Sp. Pl.* p. 489. n. 1.)

## §. 116.

## OCTAVA Classis, OCTANDRIA:

„Mariti octo in eodem thalamo cum femina.

*Stamina octo in eodem flore cum pistillo. LINN. Class.*

*Charact. l. c.*

## ORDINES: IV.

I. MONOGYNIA: cum octo staminibus, in eodem flore, *unicus Stylus*:

II. DIGYNIA: — — *duo*,

III. TRIGYNIA: — — *tres*,

IV. TETRAGYNIA: — *quatuor Styli*; vel *tot Stigmata*, si *Stylis* carent.

## GENERUM Characteres:

## Ord. I. GENOTHERA. MILLERI Illustr. Tab. 25.

*Corolla* tetrapetala. *Calyx* quadrifidus, superus. *Capsula* quadrilocularis. *Antherae* lineares. *Syst. Veg.* p. 354. n. 469. — *Capsula* cylindrica, infera. *Semina* nuda, p. 358. n. 469.

## II. GALENIA. MILLERI Illustr. Tab. 26.

*Corolla* nulla. *Calyx* quadrifidus. *Capsula* bilocularis, disperma. *Syst. Veg.* p. 356. n. 492. — *Capsula* subrotunda, p. 375. n. 492.

## III. POLYGONUM. MILLERI Illustr. Tab. 27.

*Corolla* nulla. *Calyx* quinquepartitus. *Semen* unicum, nudum. *Syst. Veg.* p. 356. n. 495. — *Corolla* quinquepartita, calycina. *Semen* unicum, angulatum. p. 376. n. 495.

## IV. ADOXA. MILLERI Illustr. Tab. 28.

*Corolla* quadri- f. quinquefida, supera. *Calyx* diphyllus. *Bacca* tetra- f. pentasperma. *Syst. Veg.* p. 356. n. 501.

*Calyx* bifidus, inferus. *Bacca* quadri- f. quinquelocularis, calyce coalita. P. 381. n. 501.

## SPECIERUM:

Ord. I. OENOTHERA *biennis*: foliis ovato lanceolatis, planis; caule muricato, villoso. *Syst. Veg.* p. 358. n. 1.

OENOTHERA fol. ovatis etc. caule muricato subvilloso. *Sp. Pl.* p. 492. n. 2.

II. GALENIA *africana*: erecta, fruticosa; foliis linearibus, carnosis. *Syst. Veg.* p. 375. n. 1. GALENIA *africana*. — *Sp. Plant.* p. 515. n. 1.

III. POLYGONUM *Fagopyrum*: foliis cordato- sagittatis, caule erectiusculo, inermi, feminum angulis aequalibus. *Syst. Veg.* p. 379. n. 27. *Sp. Pl.* p. 522. n. 24.

IV. ADOXA *Moschatellina*. — (Flores laterales quinquefidi; partium numero quinario.) *Syst. Veg.* p. 381. n. 1.

(Huc relata secundum Florem terminalem,  
ex principiis in Philosoph. botan. §. 178.  
p. 123.) Sp. Pl. p. 527. n. 1.

## §. 117.

## NONA Classis, ENNEANDRIA:

„Mariti novem, in eodem thalamo cum femina.

*Stamina novem in eodem flore cum pistillo.*” LINN.

*Class. Charact. l. c.*

## ORDINES: III.

I. *MONOGYNIA*: cum novem Staminibus in eodem flore, *unicus Stylus*:

II. *TRIGYNIA*: — — *tres*,

III. *HEXAGYNIA*: — *sex Styli*; vel Styliis deficientibus, *totidem Stigmata*.

## GENERUM Characteres:

Ord. I. *CASSYTA*. MILLERI *Illustr. Tab. 29.*

*Calyx nullus. Corolla sexpartita, calycina. Baccamonosperma. Nectarium glandulae truncatae. Syst. Veg. p. 382. n. 505. — Nectarium glandulis tribus, truncatis, germen cingentibus. Filamenta interiora glandulifera. Drupamonosperma. p. 384. n. 505.*

II. *RHEUM*. MILLERI *Illustr. Tab. 30.*

*Calyx nullus. Corolla sexfida. Semen unicum, triquetrum. Syst. Veg. pag. 382. n. 506. — Corolla sexfida persistens, p. 385. n. 506.*

III. *BUTOMUS*. MILLERI *Illustr. Tab. 31.*

*Calyx nullus. Corolla hexapetala. Capsulae hexapolypermae. Syst. Veg. p. 382. 385. n. 507.*

## SPECIERUM:

Ord. I. *CASSYTA baccifera*: — (*nova species omissa in Syst. Veg. ed. XIV. primum descripta atque picta in MILLERI Opere maiore.*)

II. RHEUM *palmatum*: foliis palmatis, acuminatis: *Syst. Veg.* p. 385. n. 3. *Sp. Pl.* p. 531. n. 3.

III. BUTOMUS *umbellatus*. — *Syst. Veg.* p. 385. n. 1. *Sp. Pl.* p. 532. n. 1.

## §. 118.

## DECIMA Classis, DECANDRIA:

„Mariti decem in eodem coniugio. *Stamina decem, in flore hermaphrodito.*” LINN. *Class. Charact.* l. c.

## ORDINES: V.

- I. *MONOGYNIA*: cum decem Staminibus in eodem flore, *unicus Stylus.*
- II. *DIGYNIA*: — — *duo,*
- III. *TRIGYNIA*: — — *tres,*
- IV. *PENTAGYNIA*: — *quinque,*
- V. *DECAGYNIA*: — *decem Styli; vel tot Stigmata, si Styli Pistillum caret.*

## GENERUM Characteres:

Ord. I. KALMIA. MILLERI *Illustr. Tab.* 32.

*Corolla* limbo subtus quinquicorniculato. *Capsula* quinquelocularis. *Syst. Veg.* p. 388. n. 545.

*Calyx* quinquepartitus. *Corolla* hypocrateriformis: limbo subtus quinquicorni, p. 404. n. 545.

II. SAXIFRAGA. MILLERI *Illustr. Tab.* 33.

*Corolla* quinquepetala. *Calyx* quinquepartitus.

*Capsula* unilocularis, birostris. *Syst. Veg.* p. 389. n. 559. — *Capsula* polysperma, p. 411. n. 559.

III. STELLARIA. MILLERI *Illustr. Tab.* 34.

*Capsula* unilocularis. *Petala* bipartita, patentia. *Syst. Veg.* p. 389. n. 568.



*Calyx* pentaphyllus, patens. *Petala* quinque bipartita. *Capsula* unilocularis, polysperma, p. 422. n. 568.

IV. OXALIS. MILLERI *Illustr. Tab.* 35.

*Capsula* quinquelocularis, angulata. *Corolla* basi subcohaerens. *Syst. Veg.* p. 390. p. 582.

*Calyx* pentaphyllus. *Petala* unguibus connexa. *Capsula* angulis dehiscens pentagona. p. 432. n. 582.

V. PHYTOLACCA. MILLERI *Illustr. Tab.* 36.

*Calyx* pentaphyllus, corollinus. *Corolla* nulla. *Bacca* decemcocca. *Syst. Veg.* p. 390. n. 588.

*Calyx* nullus. *Petala* quinque, calycina. *Bacca* supera, decemlocularis, decaesperma. p. 438. n. 588.

SPECIERUM:

Ord. I. KALMIA *angustifolia*: foliis lanceolatis, corymbis lateralibus. *Syst. Veg.* p. 404. n. 2. *Sp. Pl.* p. 561. n. 2.

II. SAXIFRAGA *granulata*: foliis caulinis reniformibus, lobatis; caule ramofo; radice granulata. *Syst. Veg.* p. 413. n. 27. (Germen inferum.) *Sp. Pl.* p. 576. n. 24.

III. STELLARIA *Holostea*: foliis lanceolatis, ferrulatis, petalis bifidis. *Syst. Veg.* pag. 422. n. 4. *Sp. Pl.* p. 603. n. 4.

IV. OXALIS *Acetosella*: scapis unifloris, foliis ternatis; foliolis obcordatis pilosis. *Syst. Veg.* p. 432. n. 5.

